F. VINCENTII MARIAE
DINELLII
CATHEDRATICI CASANATENSIS
ORDINIS PRAEDICATORUM

AD

CAROLUM NOCETIUM
SOCIETATIS JESU THEOLOGUM

DE DANIELIS CONCINAE
In indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia

EPISTOLAE.

ROMAE, MDCCLVI.
Apud Haeredes Jo: Laurentii Barbiellini.

SUPERIORUM FACULTATE.

NOS FR. VINCENTIUS MARIA FERRETTI

Sac. Theol. Profeſſor, ac totius Ordinis FF. Praed. humilis Mag. Vicarius & Procurat. Generalis, & Servus.

Harum ſerie, Noſtrique auctoritate Officii, quantum in nobis eſt, facultatem concedimus A. R. P. Magiſtro Fr. Vincentio Mariae Dinellio Provinciae Noſtrae Romanae, Cathedratico Caſanatenſi typis edendi opus ab ipſo elaboratum, cui titulus: *ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*: dummodo a duobus RR. PP. Noſtri Ordinis Sacrae Theologiae Profeſſoribus praelo dignum judicetur, & ſerventur cetera de jure ſervanda. In nomine Patris &c. In quorum &c. Datum Romae in Conventu Noſtro S. M. S. M. die 19. menſis Junii 1756.

Fr. Vincentius Maria Ferretti
Vicarius, & Procurat. Generalis Ord.

Reg. pag. 23.

Fr. Thomas Ignatius Maria Natta Mag. & Socius.

A P-

APPROBATIONES.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Vincentii Mariae Ferretti totius Ordinis Praedicatorum Vicarii Generalis legimus Librum, cui titulus eſt: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praedicatorum ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*. In quo cum nihil offenderimus, quod fidei Catholicae, boniſque moribus adverſetur, dignum judicavimus, qui typis ederetur. In quorum fidem &c.

Datum Romae in Aedibus S. Mariae ſupra Minervam die 19. Junii 1756.

Fr. Angelus Spannocchi Ord. Praed. Magiſter, & Prior Minervitanus.

Fr. Alexander de Pretis Ord. Praed. Sac. Theol. Lector.

DE mandato Reverendiſs. Patris Joſephi Auguſtini Orſi Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri attente legi librum, cui titulus: *Fratris Vincentii Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*; cumque nihil offenderim, quod fidei, aut bonis moribus contradiceret,

quantum mea intereſt, typis mandari poſſe exiſtimo.

Datum Romae die 19. Junii 1756.

D. Maurus Aloyſius Belcredi Congr. Caſinenſis, Sac. Theolog. Lector.

J. M. J.

Juſſu Reverendiſs. P. Joſephi Auguſtini Orſi Ord. Praed. S. Palatii Apoſtolici Magiſtri, attente legi librum, cui titulus: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societat. Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*; in quo nihil reperi, quod cum fide, boniſque moribus repugnet, atque adeo edi poſſe exiſtimo.

Ex Collegio S. Mariae de Victoria die 19. Junii 1756.

Fr. Eduardus a S. Xaver. Carmel. Excalc. olim Sac. Theologiae Praelect. nunc vero ſupremae Generalis Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Pal. Apoſtol. Mag.

F. M. de Rubèis Patr. Conſt. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiſſimi Patris Mag. Sac. Pal. Apoſt. Socius.

EPISTOLAE VIII.

ARGUMENTUM.

CLXXXI.

D E Pellizario, Sancheſio, ac Reginaldo acturum ſe hac Epiſtola pollicetur Dinellius; quod priuſquam faciat, redarguit eos, qui judicant ſatis eſſe ab Theologiæ Moralis ſcriptoribus vera morum dogmata exponi; neque eſſe præterea laxiorum opinionum Auctores recenſendos, atque refellendos. CLXXXII. *Mox ad inſtitutum deſcendens docet primum qua ratione ſint Pellizarii, Sancheſiique ſententiae de anticipatione, poſtpoſitioneque Officii Divini, explicandae: tum etiam ſi ita, ut exponit Nocetius, intelligi eorum dicta oporteret (licere nimirum Matutinas preces, etiam nulla neceſſitate, Veſpere præcedentis diei perſolvere) Nocetium tamen, qui ejuſmodi opinionem a D. Thoma aliiſque improbatam, communem dixerit,* impoſturae *culpa non vacare.* CLXXXIII. *Fruſtra laborare praeterea Nocetium dicit, qui Typographorum abutatur erroribus, uti Pellizario, Sancheſioque vindicatis,* calumniae *in Concinam refundat invidiam. Ceterum ſatis eſſe Concinae, quod a Leandro Pellizarius, Sancheſiuſque in ejus laxitatis præſidium, advocati fuerint.* CLXXXIV. *Pergit de Valentia, deque Reginaldo*

di

dicere; atque in primis explicat, quanta ſit Probabiliſmi cum laxis ſententiis conjunctio. CLXXXV. *Tum demonſtrat in quas ſe anguſtias Nocetius induerit, qui perpluribus Caſuiſtis uſurae Patronis, quos Concina indicat, ſilentio prætermiſſis, ad duos modo Valentiam, atque Reginaldum defenſionem contraxerit.* CLXXXVI. *Conſtare porro, quam fruſtra vindicentur duo hi, quorum ſatis pateant loca: quique futilibus uſi rationibus uſurae patrocinentur: ea vero loca diſtincte Dinellius recitat.* CLXXXVII. *Iterum de* Sancheſio *dicit: cujus, ut & reliquorum Caſuiſtarum a Ludovico Bayl ſcriptum elogium, quod praefixit* Veritati Vindicatae *Nocetius, quanti ſit faciendum docet: ridet Baylii inſcitiam, qui reprehendi errores Caſuiſtarum quaeritur, omitti vero ea, quae ſint ab ii recte ſcripta.* CLXXXVIII. *Primæ itaque criminationi in Concinam de Sancheſio paucis reſpondet: iniquum eſſe id exprobari Concinae, de quo is jampridem ſatisfecerit: ſed quoniam id Nocetio placuit recoquere, locum Sancheſii Dinellius recitat, qui omnino laxam de Abſolutione rudium doctrinam continet.* CLXXXIX. *Rurſus agit de Sancheſio, quem ut vindicaret Nocetius, Concinae accuſandi cauſa, vocabulorum ſignificationem pervertit.* CXC. Singularem *namque vocaſſe Concinam Sancheſii opinationem, qua ars Diabolica, praetio aeſtimabilis eſſe dicitur, non ita ut ab nemine alio traditam arbitratus ſit; ſed ut cognoſcerent Lectores, quam ſit abſurda: atque hac ratione* ſingularis *vocem accipi a Latinis conſueſſe.* CXCI. *Cæterum inter Antonini, Sancheſiique ea de re ſententiam, quam utriſque communem Nocetius jactat, hoc intercedere diſcriminis, quod priori de venalibus ſuperſtitioſis rebus:* huic *vero de ipſo Diaboli opere ſit ſermo: quamobrem fruſtra ex S. Th. principiis, laxitatis invidiam in S. Antoninum trahi.* CXCII. *Tertium de*

San-

Sancheſio. Quaeritur autem , num Sancheſius ab cenſura immunes parentes dixerit, qui filiabus Monaſtici inſtituti ſuſcipiendi ſint Auctores : idque cum tribuiſſet Sancheſio Concina, ut a Leandro traditum, erravit ; ſed queritur tamen Dinellius, quod feſtinationis , indiligentiaeque nonnullae cauſa accidere potuiſſe olim Nocetius faſſus ſit , id ipſum nunc ab eodem pro calumnia , atque impoſtura jactari. CXCIII. *Quartae Nocetianae de Sancheſio querelae reſpondet nihil opus fuiſſe verbis , queis decurtata Sancheſiana propoſitio dicitur , ut ejus error pateret.* CXCIV. *Sequitur adhuc de eodem , cui ab Salmanticenſibus adſcripta ſententia quaedam de adſpectu turpium mulieris , etiam ſi falſo fuiſſet adſcripta , non id dandum vitio fuiſſe Concinae, qui ex Salmanticenſibus deſcripſerit : at vero erraſse Sblmanticenſes , atque porro Concinam in indicando dumtaxat loco , oſtendit Dinellius .* CXCV. *Denique quod Nocetius impoſturam in Sancheſium , etiam in ipſo Concinae indice deprehendiſſe ſe ſcribat, Dinellius ſatisfactum ab ſe ejuſmodi accuſationum generi extrema ſexta Epiſtola dicit : neque vero eſſe gravius , quod Nocetius ſumit , odii in Sancheſium cauſſa Concinam declamatorem agere : quae namque verba a Concina adhibita ſunt , ea Hieronymi eſſe , quem quidem Nocetius declamatorem , atque deriſorem non dicet .* CXCVI. *Ipſam vero Sancheſii opinionem expendens Dinellius , oſtendit quam manifeſte docuerit, poſſe poenitentem eodem ſimul tempore Miſſas tres ſibi a Confeſſario pro ſatisfactione injunctas audire , quod ipſum dixerat Nocetius Concinae impoſturam eſſe .* CXCVII. *Recitat diligenter Concinae , Nocetii , atque Sancheſii* locos , *qui ad eam ſententiam ſpectant , qua tribuitur poteſtas pauperi locandi jus mendicitatis .* CXXVIII. *Quibus deſcriptis adeo aperte ab Sancheſio hujus locationis jus affirmas*

ri demonſtrat, ut Nocetius, qui contra ſenſerit, videatur ignorare Latinarum vocum ſignificationem. CXCIX. *Octavo de Sanchеſio diſputat: atque querenti Nocetio, cauſſas quaſdam diſpenſationis in Matrimonio rato ita expoſitas fuiſſe a Concina, ut quibuſdam praetermiſſis ſententiis, laxa videretur Sancheſiana opinatio, oſtendit Dinellius, ita fuiſſe refutatum Sancheſium, ut quae omiſsa ſunt nulla ratione ejus cauſsae juvarent.* CC. *Addit praeterea vitio non eſſe Concinae vertendum, quod in ea quaeſtione unum Sancheſium refutare inſtituerit: propterea quod is Auctor adeo proceſſit, ut ſcripſerit, nulla etiam ſubeunte cauſſa, fas eſse Pontifici rata Matrimonia ſolvere.* CCI. *Negat intelligere ſe, qua ratione Nocetius de Jeſuitis, atque Sancheſio potiſſimum a Concina dehoneſtatis queratur: cumque ex multis, quae ex Sancheſio retulit Concina in Theologia Criſtiana, dignis reprehenſione, pauca quaedam Nocetius vindicare inſtituerit, argumento id eſſe dicit, in reliquis, Nocetio ipſo fatente, lapſum eſſe Sancheſium.* CCII. *Conſenſiſſe autem Sancheſio Cajetanum, Petrum Ledeſmam, atque Lopeſium, in ea opinione, quae Sponſos ſe ſe invicem oſculantes, amplexanteſque gravi crimine excuſat, non diffitetur Dinellius; ceterum negat iis eſſe adnumerandos Fumum, Tabienſem, Bartholomeum Ledeſmam, alioſque quos Nocetius inducit.* CCIII. *Explicat praeterea quam injuria Sancheſius Sotum in ſuae ſententiae praeſidium adduxerit.* CCIV. *Statuit denique non debuiſse Concinam, qui univerſam morum Theologiam perſcribere inſtituiſſet, de his ita diligenter diſputare, quae permultis ſint ambagibus implicata: quodque ſi aggreſſus eſſet, prius feciſſet vivendi, quam ſcribendi finem.*

F R.

FR. VINCENTIUS MARIA
DINELLIUS
ORDINIS PRAEDICATORUM
CAROLO NOCETIO
Societatis Jesu
S. P. D.

CLXXXI.

QUum de Moya ita diſputarim, ut intelligere poſſis, praetereundum tibi omnino fuiſse Caſuiſtam, qui plura peccavit, quam ſcripſerit capita, aut paragraphos, ſequitur, ut agam in hac epiſtola de Pellizario, Reginaldo, atque Sancheſio, & ne horum quidem ullam ſententiam mala fide in Chriſtiana Theologia deſcriptam, oppugnatamque ab Concina fuiſse

demonſtrem. Sed priuſquam de ſententiis horum Caſuiſtarum dicere aggredior, reſpondere lubet, quibuſdam Concinae reprehenſoribus, qui, etſi opus Chriſtianae Theologiae valde probent, aut probare ſe ſimulent, conſultius tamen eum facturum fuiſse dicunt, ſi eam ſecutus eſset ſcribendi rationem, quae Genetto, Merbeſio, Natali Alexandro, aliis probata eſt, ut, praeteritis omnino Caſuiſtis, eorumque opinionibus, vera tantum morum dogmata exponeret, Conciliorumque, necnon Patrum, & optimorum Theologorum teſtimoniis confirmaret. Hac ratione, inquiunt, ſatis proviſum eſset utilitati ſtudioſorum, neque tot rumores excitaſsent Caſuiſtae, qui ita animo comparati ſunt, ut, cum de morum ſententiis agiter, ne leviter quidem ſe tangi, aut doctrinam ſuam refelli patiantur.

Ego vero etſi Genettum, Merbeſium, Natalem Alexandrum reprehendere non audeo; magis tamen Concinam probo, qui non ſolum veras proponere; ſed etiam falſas refellere inſtituit morum ſententias. Et quamquam multae ſint cauſsae, cur ita judicem, ſatis eſt tamen unam afferre, quod ejus ratio graviſſima nitatur auctoritate Tri-

Tridentinorum Patrum, qui *ſeſs.* 13. poſt explicatam Eccleſiae de Euchariſtia doctrinam, hanc afferunt cauſsam edendorum Canonum, quibus contraria proſcribitur, quod *non eſt ſatis veritatem dicere, niſi detegantur, & refellantur errores*. Cur idem valere non debet in doctrina morum? Quis audeat Concinam reprehendere, qui Concilii Tridentini paruit auctoritati. Videant iſti reprehenſores, ne, ſi Concinae ſuccenſere pergant ob eam cauſsam, quod non ſolum veras exponere, ſed etiam falſas refellere inſtituerit morum ſententias, non modo rationem, quae ita fieri poſtulat ad utilitatem plurimorum, ſed etiam Tridentinorum Patrum graviſſimum judicium contemnere videantur.

At quaeruntur Caſuiſtae ſe noſtris ſcriptionibus vituperari. Quibuſnam? Nam omnes noſtrum ſcriptiones cum omni contumelia, & maledicto carent, tum laudibus abundant eorum Scriptorum, qui digni ſunt approbatione. Quis in Italia, ut cetera praeteream, memorabat Antoenium, Camargum, & Elizalde, quos Concina, cum ſitu & ſquallore jacerent, in lucem produxit, & prope in caelum laudibus extulit? Quod ſi dicunt hoc ipſo vituperari ſe, quod San-

cheſii, Lacroixii, & Tanburini &c. vituperentur opiniones, nihil moramur iſtam conqueſtionem, cum iniquum ſit errata nolle refelli, quodque de erratis dicitur, id quaſi, de auctoribus dicatur, eo criminari, ut Scriptori, qui errores refellit, auctoritas detrahatur.

De Pellizario, & Sancheſio.

CLXXXII. Sed jam ad inſtitutum redeamus. Scribit igitur Concina Tom. 11. pag. 487.
„ Quae cauſſa requiritur ut licite, quis an-
„ ticipare, vel poſtponere recitationem pre-
„ cum Canonicarum poſſit? Reſpondeo con-
„ venit pene Theologos ferme omnes, cul-
„ pam venialem perpetrare eum, qui vel ni-
„ mium anticipat, vel poſtponit officium di-
„ vinum, puta ſi recitaret *primam* tempore
„ *completorii*, vel contra.... Pellizarius tom.
„ 2. tract. 5. cap. 8. ſect. 2. quaeſt. 20. num.
„ 103. cum Patre Sanchez contendit, ſo-
„ lam majorem commoditatem ſufficere,
„ ut quis valeat vel anticipare, vel differ-
„ re officium divinum. Verum haec opinio
„ falſa, & laxa eſt contra communem Do-
„ ctorum ſenſum „.

Haec tu deſcribis cap. 16. libelli tui, manifeſtiſſimamque impoſturam continere dicis, cum locis citatis loquantur Sancheſius, & Pellizarius de matutinis precibus,

quas,

quas, uti docet communis omnium Theologorum opinio, pridie veſperi, ſi ita commodius viſum fuerit, recitari poſſe contendunt. Itaque fallere, & mentiri Concinam, ut qui Sancheſium, & Pellizarium de diurnis precibus finxerit eſſe locutos. Sed oportet tam acrem in re leviſſima criminationem verbis tuis exponere,ne videar ego ejus vim, acrimoniamque nimium invidioſe augere. Itaque deſcriptis loc. cit. Concinae verbis:
„ Haec eſt, inquis, manifeſtiſſima impo-
„ ſtura. Primum neque Pellizarius, neque
„ Sanchez loquitur de anticipatione, quam
„ ipſis affingit P. Concina,nimirum de anti-
„ cipatione, qua quis recitet *primam* tem-
„ pore *completorii*, vel contra: cujus antici-
„ pationis, ſi contenderent juſtam cauſſam
„ eſſe ſolam commoditatem; eorum opinio
„ falſa, & laxa eſſet, ac contra communem
„ Doctorum ſenſum.

„ Verum loquuntur de anticipatione
„ longe diverſa; de ea ſcilicet, qua quis
„ recitet pridie, & quidem hora debita
„ matutinum diei ſequentis, & ad hanc
„ anticipationem dicunt ſufficere ſolam
„ commoditatem, quae opinio veriſſima
„ eſt, & communi Doctorum ſenſui con-
„ ſentanea „.

Hoc primum te falli puto, quod tam confidenter veriſſimam appelles, communemque Doctorum eſſe dictites iſtam opinionem, quae matutinas preces pridie veſperi, ſi ita commodius viſum fuerit, recitari poſſe conſtituit. Nam certe Thomae non eſt haec opinio, quam ſi Concina *laxam* appellaſſet, non ſolum nullius impoſturae, ſed ne erroris quidem argui potuiſſet. Sed de hac opinione dicam poſtea. Nunc videamus quemadmodum probes Sancheſium, & Pellizarium de diurnis precibus non eſſe locutos. Pellizarius, inquis, loc. cit. ita loquitur. ,, Dixi, excepto matutino: quia quod attinet ad recitationem matutini, & laudum ,, ex conſuetudine ubique recepta ea poſſunt recitari tam æſtate, quam hyeme ,, poſt Veſperas, & Completorium diei praecedentis publice recitatas .... Ita Filliuccius tract. 23. num. 274. addens ad anticipandum matutinum modo ſupradicto ,, quamlibet cauſſam ſufficere, qualis eſt ,, major commoditas ſtudii, lux diei, & ,, major ſecuritas anticipandi ,,.

Hujus eſt ſimile teſtimonium Sancheſii lib. 7. conſil. cap. 2. dub. 37. num. 2. ,, Hoc ,, ſuppoſito, circa horam recitandi matutinum convenit inter Doctores, poſſe re-

ci-

„ citari veſpere matutinum diei ſequentis
„ propter rationem dictam ; quod idem
„ probari videtur ex generali conſuetudine.
„ Dicunt tamen plures Doctores eſſe pec-
„ catum veniale recitare veſpere, niſi adſit
„ juſta cauſſa . Sic D. Thomas quodlib. 5.
„ num. 28. Angelus V. Hora num. 21.......
„ & quidam recentior valde doctus Magi-
„ ſter : addens ſufficere cauſſam juſtam ,
„ quae inducat non tantum neceſſitatem ,
„ ſed etiam commoditatem „ .

Ex hoc loco Sancheſii, quem accurate deſcribis, intelligere debueras, quae eſset de matutinis precibus Thomae ſententia: nimirum nonnihil peccare eum, qui ejuſmodi preces ſine juſta cauſſa pridie veſperi recitaret. Quod enim inter matutinas, diurnaſque preces diſcrimen intercedere dicis, ut matutinae pridie veſperi, ſi ita commodius viſum fuerit, recitari poſſint; diurnae autem, niſi ſit juſta cauſſa, citius, ſeriuſve, recitari non poſſint, id quidem Thomae non probatur, qui loc. ab Sancheſio cit. juſtam cauſſam requirit, quamobrem tam matutinae, quam diurnae, aut Deo repraeſententur, aut in longiorem horam differantur. „ Conſideranda eſt, inquit, in-
„ tentio ejus, qui praevenit tempus in ma-

„ tutinis dicendis, vel in quibuſcumque „ horis Canonicis. Si enim hoc facit propter laſciviam, ut ſcilicet quietius ſomnolentiae, & voluptati vacet, non eſt abſque peccato. Si vero hoc faciat propter neceſſitatem licitarum honeſtarum occupationum, puta ſi clericus, aut magiſter debet videre lectiones ſuas de nocte, vel propter aliquid aliud ejuſmodi, licite poteſt de ſero dicere matutinas, & in aliis horis canonicis tempus praevenire „. Hic ſane Thomas non ſolum matutinas preces ab diurnis non diſtinguit, ſed etiam diſerte negat, eas pridie veſperi recitari poſſe, niſi juſta ſit cauſſa, cur Deo repraeſententur. Nihil autem moror illius docti Magiſtri, quem memorat, & quaſi Thomae conſentientem inducit Sancheſius, qui diceret: *ſufficere cauſſam juſtam, quae inducat non tantum neceſſitatem; ſed etiam commoditatem*; hoc eſt enim corrumpere non interpretari Thomae doctrinam, qui etſi cauſsam non poſtulet, quae afferat neceſſitatem, talem tamen poſtulat, quae non contineat in ſe ſolam commoditatem: quod quidem non ſolum rationi conſentaneum eſt, cum idem omnino ſit licere commodi cauſſa, ac nulla de cauſsa licere divinas preces,

aut

aut maturius perſolvere, aut in longiorem horam differre; ſed etiam tibi probatur, qui loquens pag. 29. de diurnis precibus, ſolam commoditatem ab juſta cauſsa diſtinguis, falſamque fore concedis Sancheſii, & Pellizarii ſententiam, ſi contenderent, *anticipationis juſtam cauſſam eſſe ſolam majorem commoditatem*.

Quae cum ita ſint, velisque Sancheſium, & Pellizarium de matutinis precibus eſse locutos, quid eſt, quod eorum ſententiam, qui eas pridie veſperi, ſi ita commodius viſum fuerit, recitari permittunt, veriſſimam appellas, & communem omnium Doctorum? Quid eſt, quod Concinam, ſi eam laxam appellaſset, arguendum putares impoſturae? An non illum egregie tueretur hic Thomae locus, in quo eadem luculenter improbatur? Dices non veniſse tibi in mentem, ut Thomam legeres, ejuſque doctrinam conſiderares. Hoc quidem facile credo. At ne illud quidem venire debuiſset: *haec eſt manifeſtiſſima impoſtura*; ne illi, qui tibi reſponderet, in mentem veniret aliquid aliud, quod nunc dicere nolo. Deinde, ſi tibi in mentem non venit legere Thomam, cur ſaltem non venit dare operam, ut eum, quem legeres, atque adeo deſcriberes, recte in-

intelligeres Sancheſii locum : *Dicunt tamen plures Doctores eſſe peccatum veniale recitare veſpere niſi adſit juſta cauſſa*. Utrum haec verba ſignificant, ſententiam, quae nullam requirit juſtam cauſsam, ſed ſatis eſse docet ſolam commoditatem, communem eſse omnium Doctorum; an contra declarant, plures Doctores eidem adverſari? Nam quod Sancheſius omnia turbet, & ſententiae, quae juſtam cauſsam requirit, fautorem eſse dicat doctum illum Magiſtrum, qui cauſsam poſtularet, quae in ſe contineret ſolam commoditatem, id quidem pertinet ad eam diligentiam, qua Doctorum ſententias explicare conſueverunt Probabiliſtae.

Quod ſi me rogas ecquid ſentiam de conſuetudine matutinas preces pridie veſperi recitandi, qua nituntur Caſuiſtae, facile reſpondebo, non eſse hic locum de iſta conſuetudine diſserendi, cum tantum de ſententia quaeramus ſit ne, ut tibi placet, communis omnium Doctorum. Atque ego communem non eſse, eo demonſtrandum duxi, ut, etiamſi Sancheſius, & Pellizarius de matutinis precibus locuti eſsent, in te tamen maniſeſtiſſimae impoſturae recideret invidia.

CLXXXIII.

CLXXXIII. Sed redeo ad id, quod rei caput eſt. Deſcriptis enim Sancheſii, & Pellizarii teſtimoniis, in quibus de matutinis precibus ſermonem habent, ita Concinae inſultas: „ Audiſtin? iterum ad quid ſufficiat „ commoditas? Non ad recitandum *com-* „ *pletorium* tempore *primae*, vel contra, „ ut finxit P. Concina: ſed ad recitandum „ veſpere matutinum diei ſequentis. Refe- „ runtur ne ſincere ſententiae Jeſuitarum„? Ab Concina quidem ſincere: abs te autem ea fide, qua Concinam in iis referendis verſatum eſse criminaris. Utrum verum dicam attende. Concina hunc indicat Pellizari locum: tom. 1. tractat. 5. capit. 8. ſect. 2. quaeſt. 21. num. 103. Omnia, preter numerum 103, recte indicata ſunt. Nam Pellizarius num. 103, ea ſcribit, quae abs te deſcripta ſunt, de matutinis precibus; at num. 102. de diurnis loquitur in eam ſententiam, in quam Concina locutum eſse affirmat: „ Quam quam qui recitat toto „ eo tempore inter medio ſatisfaciat obli- „ gationi quoad ſubſtantiam, quantumvis „ antevertat, vel poſtponat tempus ſingu- „ lis horis aſſignatum (ut ſi *primam* reci- „ tet poſt occaſum ſolis, vel *veſperas* ante „ prandium) adhuc enim non peccat m.;

„ eſto

„ eſto id faciat ſine cauſſa : immo nec ve-
„ nialiter ſi ex cauſſa , licet minus gravi ,
„ ut itineris commodioris ſtudii , praevi-
„ ſae occupationis , amicorum interpella-
„ tionis, majoris quietis, devotionis &c. „
In hanc , inquam , ſententiam, ſcribit Pellizarius num. 102., eaſque cauſſas affert , cur diurnae preces ſerius, citiuſve recitari poſſint , quae non continent in ſe niſi, majus commodum , puta , quod amicus ſit conveniendus , quod tempus matutinum ſtudio , veſpertinum his precibus fundendis aptius videatur . Tu , qui es vindex veritatis , abuſus errore Typographi , vel exſcriptoris , qui num. 103 poſuit pro num. 102 confidenter negas, loqui Pellizarium de diurnis precibus , & ea proferens , quae n. 103. ſcribit de matutinis ; *referuntur ne* , inquis , *ſincere Jeſuitarum ſententiae* ? Eſt ne iſta , inquam ego , digna Theologo accuſandi ratio ? Poteſt ne veritas te vindice eſſe contenta ? Eodem modo peccas in Sancheſio . Nam quamquam lib. 7. Conſil cap. 2. dubit. 37. num. 2., quem locum nemo indicat , ea ſcribat de matutinis precibus , quae abs te ſupra deſcripta ſunt , dubit. tamen 36. concl. 2. ita diſſerit de diurnis : „ Si horae Canonicae juſta de cauſſa

„ non

,, non recitentur debitis horis, ſed praeponantur, vel poſtponantur, nulla eſt culpa: ſi citra cauſſam juſtam, eſt peccatum veniale.

,, Nota cauſſam juſtam eſſe, & a culpa immunem reddere, ſi ſcholaſticus differat horas in veſpertinum tempus, eo quod matutinum eſt aptum ſtudio; non autem veſpertinum: hoc vero eſt aptum ad recitandum: ſic Navarrus &c.,,

At ne illud quidem omitti debet jam dudum ab Leandro Tract. 8. quaeſt. 100. & ab Salmanticenſibus tract. XVI. cap. 3. punct. 3. num. 14. ſcriptum eſse in hac controverſia de Sancheſio, & Pellizario, quod nunc de iiſdem Concinam mentiri criminaris. Atque ego, ne longum faciam, uno contentus ero Leandri teſtimonio, qui loc. cit. quaerens: *An ſola commoditas major recitantis ſit cauſsa juſta ad licite anteponendum, & poſtponendum horas canonicas?* Reſpondet,, affirmativam ſententiam tenere Sanchez lib. 7. Conſiliorum cap. 7. dubit. 37. num. 2. ait Pellizarius, nec improbat Tomo 1. &c.,,

Explica nunc qua libidine invidiae permotus finxerit Leander, Sancheſium, & Pellizarium de diurnis precibus eſse locutos,

tos, cum de matutinis tantum locuti ſint? Aut illud explica, cur hujus, & Salmanticenſium erratum, ut nunc erratum eſse concedam, nunquam manifeſtiſſimam impoſturam eſse dixeritis.

CLXXXIV. Sed pergamus ad reliqua. Et quia quod rurſus opponis de Pellizario cap. LXIX., atque item de Rebellio cap. LXXIII. exploſum eſt epiſtola 6. num. 136, & 129, veniam ad Valentiam, & Reginaldum, quibus probatam eſse negas falſam illam de uſura ſententiam, quam Concina oppugnat. tom. 7. pag. 437. „ Sat eſse, ut mutuator deſti- „ naverit pecuniam negotiationi, licet ob „ defectum occaſionum actu, aut proxime „ praeſentium reipſa pecuniam non expo- „ nat.

Mirum eſt quam indigne feras tributam ab Concina fuiſse Valentiae, & Reginaldo ejuſmodi ſententiam, & quam magnifice eorum Innocentiam praedices: ſic enim ordiris: „ Ut vero P. Concina videat, „ Probabiliſmum nullam habere cognatio- „ nem cum ſententiis, quas ipſe reprobat: „ atque hoc ſuum artificium apud doctos „ inane eſse: atque ut una defendam ab „ evidenti impoſtura accuſatos auctores; „ dico Probabiliſtam Valentiam, Proba- „ bi-

„ biliſtam Reginaldum non modo id non „ defendere, ſed acriter, & expreſse tueri „ opinionem contradicentem. „

Ego vero, pace tua dixerim, tantam intercedere puto inter Probabiliſmum, & falſas, perverſaſque ſententias, quae ab Concina improbantur, cognationem, quantam intercedere conſtat inter argumentationem ex cauſ. & rem argumentatione concluſam, vel inter definitionem, & rem definitam: neque vereor, ne me arguant, convincantque iſti docti, quos memoras, erroris, praeſertim ſi utantur iſta tua argumentandi ratione, & ex eo, quod ſententiam aliquam non defenderit Probabiliſta Valentia, aut Ptobabiliſta Reginaldus, concludere velint, nullam inter eam, & Probabiliſmum intercedere cognationem. Quid enim poteſt eſse levius, & ad id, quod agitur, minus aptum cum eadem defendatur ab Leſſio, Filliuccio, Azorio, Tamburino, de Lugo, proindeque probabilis exiſti mari debeat ab Valentia, Reginaldo, Nocetio, niſi funditus convellere velint Probabiliſmi canonem: probabilem eſse; ut ait Viva (in Expoſ. damnatae theſis: Si liber fuerit alicujus junioris &c.) *non ſolum plurium, ſed etiam unius auctoris opinionem etiamſi adverſus com-*

communem aliorum ſentiat, quoties auctor eſt omni exceptione major. Ecce tibi vinculum cognationis inter probabiliſmum, omneſque inanes ſententias, quae in unaquaque controverſia ab uno, pluribuſve probabiliſtis defenduntur; quod nunquam perrumpere poteris, niſi probabiliſmo, probabiliſtarumque rationibus ſecurim injicias. Alia multa ſunt vincula iſtius cognationis, quae modo praetereo, cum non ſit neceſse de ſingulis dicere.

CLXXXV. Quod dixi, probatam eſse ſententiam, qua de agimus, Leſſio, Filliuccio, Azorio, Tamburino, de Lugo, id quidem ex ipſo Concina accepi, qui loc. cit. ſic habet: „ Leſſius, Azorius, Valentia, Filliuccius „ Reginaldus, Navarrus, Bonaccina, Tamburinus, de Lugo, aliique probabiliſtae defendunt, ſat eſse, ut mutuator deſtinaverit „ pecuniam negotiationi, licet ob defectum „ occaſionum actu, aut proxime praeſentium pecuniam non exponat. Quae opinio falſa eſt, & uſuras fere omnes de „ mundo aufert.

Qui locus abs te initio capitis ita deſcribitur: „ Valentia .... Reginaldus .... „ aliique probabiliſtae defendunt &c. „ Ex quo intelligi debet, quam aſtute, contraque

que leges veritatis veritatem vindicare coneris. Nam cum ſentenriam plus nimio laxam, & ab multis Caſuiſtis propugnatam ab Concina refelli diſſimulas; tum ex hoc uno elicere conaris impoſturae ſuſpicionem quod duos nominarit, a quibus contraria propugnetur. At ego veritatem, ſi ipſa per ſe loqueretur, dicturam puto, non ſe iſto modo vindicari, ſed latebram quaeri errori Caſuiſtarum, cum id agatur, ut ei, a quo refellitur, tanquam impoſtori fides abrogetur: verum amatorem & vindicem veritatis, ſi in hunc locum veniſset, primum ſententiae falſitatem, & multitudinem eorum, a quibus defenditur, demonſtraturum; deinde de Concinae errore, ſi quis incidiſſet, ita conqueſturum fuiſse, ut ea non omitteret, ex quibus perſpici poſset, nihil eum egiſſe mala fide, puta, quod nulla apparet cauſſa, cur Leſſio, & aliis, quos recte nominavit, duos mendacio adiungere vellet: quod, ſi paullo plures nominare voluiſset, non deeſsent Molina, Sa, Dicaſtillus, quos in locum Valentiae, & Reginaldi ſubſtitueret: denique quod Valentia ab de Lugo tom. 2. de Juſt. diſp. 25. ſect. 6. §. 1. num. 90. idemque Valentia, nec non Reginaldus ab Bonacina in ſubſidium hujus ſententiae laudati

 fuiſ-

fuiſsent ; proindeque mirum non eſse , ſi Concina , quem hoc loco Bonacinam , & de Lugo legiſse conſtat , utrumque una cum Leſſio & aliis nominandum putaſset .

Non dubito , Noceti , quin veritas tecum hoc modo loqueretur , & nullo modo probaret illam praeteritionem , qua Valentiae tantum,&Reginaldi ſuſcepta cauſsa, de ceteris initio capitis ita ſcribis: „ Utrum „ alii probabiliſtae id defendant nunc non „ inquiro „ . Quid ita ? Ecquando erit , ut inquiras ? Credibile ne eſt , te non omnia acerrime contemplatum eſſe , ut non ſolum Valentiam, & Reginaldum, ſed etiam Leſſium,Filliuccium,Azorium,Tamburinum,de Lugo defenderes , & ſeptem Jeſuitas uno tempore ab Concina impoſtura violatos oſtentares,quo magis eum huic generi ſcriptorum infenſum. fuiſſe pervinceres ? An non multo levioribus de cauſſis , quam ſit error hujus ſententiae, Leſſium, & alios vindicandos putaſti ? Sed quo pertineat iſta tua diſſimulatio , ſcribendique artificium ſatis oſtendi in extrema Epiſtola 5. nihilque occurrit, cur rurſus de eo dicendum putem . Unum rogo ecquid tibi conſilii capiendum putabis , ſi, cum inquires de Leſſio & ceteris Caſuiſtis , reperies, eos ſententiam , quam Con-

Concina oppugnat, omnino defendiſſe? Probabilemne eſſe defendes? Atqui non amplius licebit, cum eam indignam eſſe duxeris Valentia, & Reginaldo. Nam qui fieri poteſt, ut his duobus indigna; Leſſio, Filliuccio, & aliis non indigna videatur? Itaque falſam eſſe concedes. Vellem id quidem: quid enim magis falſum, quam eum, qui nullas habet opportunitates negotiandi, ſi pecuniam det ei, qui mutuam roget, cavillari poſſe, daturum ſe operam fuiſse negotiationi, ac proinde ratione lucri ceſsantis, quod nullum eſt, uſuram accipere? Vellem, inquam, falſam eſse concederes hanc opinionem; ſed vereor, ne non poſſis. Irruent enim in te omnes caſuiſtae, & quidquid conceſseris, id te ipſum negare cogent Canone illo ſuo: probabilem eſse *non ſolum plurium, ſed etiam unius auctoris opinionem* &c. quem Canonem te funditus evertere dolebunt, ſi non ſolum unius, ſed etiam plurium, & quidem omni exceptione majorum falſam eſse concedas opinionem. Intellige Noceti quid eſt. Aut rejicias oportet, quod nunquam facies, hunc canonem Caſuiſtarum; aut, ſi retinendum putas, probabiles eſse concedas omnes illas ſententias, quarum cauſsa in tuo libello Concinae dicam impingis.

CLXXXVI. Sed age:videamus jam quamobrem defenſam fuiſſe neges ab Valentia,& Reginaldo ejuſmodi ſententiam. Recita teſtimonium Valentiae Tom.3 . diſp.5. de Juſt. quaeſt. 20. punct. 2. §. 5. „ Hic advertendum eſt, nos hic ſupponere quod vere „ lucrum ceſſet propter contractum cum „ altero tranſactum. Id autem continget, ſi „ exiſtant hae quatuor conditiones. Prima, „ ut pecunia vel actu fuerit expoſita nego„ tiationi, vel certe negotiationi deſtinata „ & jam ei exponenda: & quidem illa ea„ dem, quae alteri creditur, aut mutuatur. „ Non enim ſatis eſt, ut potuerit exponi. „ Nam pecunia cum hac potentia lucrandi „ remota, non plus valet, quam pecunia „ abſolute ſecundum ſe... Debet ergo „ eſſe lucrum in potentia proxima, ut de „ eo pactum fieri poſſit„. Hic oſtentas,ſcripſiſſe Valentiam: *vel certe negotiationi deſtinata,& jam ei exponenda*,& alia horum ſimilia, quae in deſcripto teſtimonio legi poſſunt, & cum ea ſententia, quam Concina eidem attribuit, componi nullo modo poſſint. Sed vereor, ne nihil proficias. Nam certe Valentia, ut *lucrum ceſſans* foenore compenſare liceat,horum alterutrum poſtulat:*ut pecunia vel actu fuerit expoſita,vel cer-*

te

te negotiationi deſtinata, & jam ei exponenda: porro qui de hac controverſia recte praecipiunt, tum vere pecuniam attributam eſſe docent negotiationi, cum quis non ſolum huic rei operam dare conſtituit, ſed etiam paratas habet certas negotiandi opportunitates, quas cum Valentia nullibi commemoret, fit ita, ut non ſatis ab errore receſſiſſe videatur. Nam quod addit: *& jam ei exponenda*, quod tibi forte videri poſſet ad certas negotiandi opportunitates ſignificandas eſſe comparatum, ambiguum eſt, neque ſatis explicat id, quod cum errore repugnat. Quid? An non ſaepe accidit, ut qui pecuniam mutuam roganti dare, quam negotiandi periculum adire malunt, ſibi videantur in eo eſſe ſingulis momentis, ut pecuniam ad negotiationem transferant, quamvis nullam certam habeant hujus rei perficiendae opportunitatem?

Accedit huc, quod nihil ambiguum, nihilque obſcurum, aut minus explicate dictum probari debet in hac controverſia de uſura; in qua ſolis verbis, atque adeo mentis conceptionibus mirabilem omnia efficiendi vim tribuerunt Caſuiſtae. Si tantum dicas ex. cauſ.: *Vellem negotiari niſi multi mutuum peterent . . . quidam doctiſſimi viri*

putant etiam tunc poſſe aliquid exigi ratione lucri ceſſantis. Demonſtrare tibi non poſſum, qui fuerint hi doctiſſimi viri, qui tantam vim uni dicto, aut mentis conceptioni tribuerunt, eo quod Leſſius, cui ſoli noti erant, eorum notitiam poſteritati invidit. Quemadmodum autem ipſe lib. 2. cap. 20. dubit. 11. num. 95. ad eorum ſententiam acceſſerit, per te ipſum legere potes. Plena ſunt harum ineptiarum volumina Caſuiſtarum.

Denique cum ne Reginaldum quidem in hoc errore verſatum eſſe contendas, animadvertas oportet quam clare hic Caſuiſta loc. abs te cit. vol. 2. lib. 23. num. 84. quamque perſpicue *potentiam*, ut vocant, lucrandi *proximam*; attributamque negotiationi pecuniam explicarit. Ait enim tum intelligi debere pecuniam attributam eſſe negotiationi ,, cum mercator jam habeat prae ma-
,, nibus tales merces emendas ex quibus
,, veroſimiliter lucratus fuiſſet, ſi illas emiſ-
,, ſet ex pecunia mutuata; aut cum nobi-
,, lis, vel alius homo dives propter mutua-
,, tionem impeditus eſt, ne praedium tunc
,, venale, vel caſtrum, vel cenſualem redi-
,, tum emeret, contra quam plane ſtatuerat,
,, & poterat de praeſenti ,,. Quum Regi-

nal-

naldus negotiandi, emendique voluntatem aperte conjungat cum certis, deſtinatiſque harum rerum perficiendarum opportunitatibus, Valentia non item, qui fieri poteſt, ut idem tibi ambo ſenſiſse & ab errore, de quo loquimur, receſſiſse videantur?

Concedis igitur, inquies, non eſse verſatum in hoc errore Reginaldum. Ego vero concedo, eum hoc loco recte eſse locutum, *ceſsantiſque* lucri rationem ad id, quod boni Theologi docent, appoſite explicaſse. Sed cum paullo poſt addiderit: „De-
„ pendet denique quod habet Lelius Zec-
„ chi in Tract. de uſuris cap. 16. num. 15.
„ in 2. & 3. conditione. Ad hoc ut lucrum
„ iſtud praetendi queat, requiri, ut mu-
„ tuans poſſit, velit, & propoſitum ha-
„ beat negotiari, atque id procuret: pro-
„ indeque Clericum, qui negotiari prohi-
„ betur, non poſse illud praetendere „: cum addiderit, inquam, hoc modo, mihi videtur in ſententia non ſtetiſse, & magis ad id, quod Valentia, & alii docent, quam ad id, quod antea ſcripſerat, eſse locutus. Ait enim ad lucrum, quod fieri poſset, uſura compenſandum, nihil amplius requiri, quam ut *mutuans poſſit, velit & propoſitum habeat negotiari, atque id procuret*: Non er-

go eſt neceſse,mercatorem,uti ſupra ſcripſerat, habere omnino prae manibus merces, quas emat; aut divitem hominem praedium, caſtrum, cenſum, quae quidem jam vendantur, emere cupere: Sed ſatis eſt, utrumque aliquid emere velle, etiamſi neutri, quid emat, nondum occurrat. Sed cum multum interſit inter eum, qui, cum poſſit, & velit negotiari, tamen quemadmodum haec faciat non dum invenit; & eum, qui hoc ipſum paratum habet & expeditum; multum etiam interſit inter ſuperiorem, & inferiorem Reginaldi ſententiam, ipſumque ſibi non conſtitiſse neceſse eſt. Hoc eſt quod tibi de Reginaldo concedere poſsum.

Sed, omiſso Reginaldo, demus tibi, nihil hactenus eſse concluſum contra Valentiam. Intelligis ne quid ſibi velint illa verba: „ ut pecunia, vel actu fuerit expoſita, „ vel certe negotiationi deſtinata & jam ei „ exponenda, *& quidem illa eadem, quae al-* „ *teri creditur, aut mutuatur* „. Cur haec verba non curaſti majoribus cudi characteribus, ut in omnium oculos ſtatim incurreret turpiſſimum foenerandi artificium? Nimirum docet, ut clarius explicat numero 12. „ Non idcirco contractum non eſse „ cauſsam ceſsationis lucri, quod cre-

„ di-

„ ditor habeat aliam pecuniam in arca„ „ negotiationi non expoſitam, qua, ſi „ velit, poſſit illud idem lucrum facere„, „ quod ei ceſsat ex pecunia credita. Non „ eſt hoc neceſsarium, neque hujus faciunt „ mentionem alii auctores„. Non negabis, opinor, hoc eſse deterius eo, quod Concina oppugnat, & nullo modo componi poſse cum ea ſententia, quae *lucrum ceſsans* intelligi poſse negat, niſi praeſto ſit aliqua negotiandi opportunitas. Nam cupio videre, num opportunitatem negotiandi magnopere requirat is, qui docet, non injuſte facturum eum, qui foenus accipiat, modo credat ei, qui mutuari cupit pecuniam illam, qua negotiatur, non eam, quam habet in arca, quaſi, ſi tantundem pecuniae habet in arca, non perinde ſit, ac ſi nullo modo negotietur, aut negotiari nolit; aut quidquam interſit utra pecunia mercaturam faciat, vel utram credat ei, qui mutuam rogat. Scio idem, quod Valentia, ſentire Molinam, Leſſium, de Lugo, Tamburinum. Sed errant omnes turpiſſime: cum plenum ſit foenebris nequitiae negotiationem intermittere, ut pecuniam foenore occupes, etiamſi tantumdem habeas in arca, quam credere poſſis ei, qui mutuam rogat.

CLXXXVII.

De Sanchesio. CLXXXVII. Ut Sancheſium omnium maxime, ut tibi quidem videtur, Concina reprehendit, refertumque eſſe dixit falſarum opinionum, ita hunc maxime vindicandum putaſti; non ſolum ejus plura, quam aliorum Caſuiſtarum proferens decreta, quae male ab Concina reprehenſa eſſe pervincas; ſed etiam Ludovici Bail, a quo Caſuiſtae, & nominatim Sancheſius laudatur, initio libelli tui teſtimonium deſcribis, ex quo lectores intelligant, a quo Scriptore perorata ſit cauſſa, quam Concina afflictam, & deſperatam eſſe pronunciat. Atque ego non dubito, quin, ſi nihil obſtare dicerem hujus ſcriptoris auctoritatem, quo minus quae Concina de Caſuiſtis ſcripſit, vera ſint, viriſque ſapientibus magnopere probentur, continuo reſponderes, non eſſe facile contemnendum Ludovicum Bail Doctorem Theologum, & *Propoenitentiarium Pariſienſem*; ſic enim reſpondiſſe te video ad ea, quibus epiſtola 2. num. XXXIII. inconſideratum hujus Theologi de doctrina antiquorum doctorum judicium perſtrinxi. Quum igitur Ludovici Bail auctoritate pugnes, quam ego non magni facio, ecquem hujus litis arbitrum appellabimus? Ego non alium volo, niſi ipſum Bail pro Sancheſio differentem;

tem; nam ſi conſtiterit, eum ita malum Caſuiſtam laudaſſe, ut ſe ipſum dignum vituperatione reddiderit; neque dubitari poſſe, quin, ſi Romae de hoc ejus teſtimonio in aliqua Congregatione referretur, omnium ſententiis damnaretur, nihil erit, cur ejus auctoritate quidquam negotii nobis exhiberi putes.

Itaque recita ex illo teſtimonio ſententiam unam, & alteram; neque enim eſt otium de ſingulis dicere: „ Renovatum eſt „ bellum jam antea identidem repetitum „ adverſus theologiam moralem ſummiſtarum (caſuiſtas dicunt); nec non graviſſimos pleroſque Theologos tam ex antiquis, quam ex modernis, qui quaeſtiones de moribus definierant „.

Dolet renovatum eſſe bellum adverſus Caſuiſtas, quod facere non poteſt, niſi eos, qui auctores hujus belli renovandi fuerunt, reprehendendos putet. Reprehendit igitur Ludovicus Bail Paroechos Pariſienſes, doctiſſimos Galliae Epiſcopos, Romanos Pontifices Alexandrum VII., Innocentium XI., Alexandrum VIII., qui auctores fuerunt hujus belli redintegrandi. Et vero non poterat, niſi ab contemptu Praeſulum Eccleſiae, initium duci laudis Caſuiſtarum. Quod

dicit

dicit hoc bello cum veteres, tum recentes appetitos eſſe Theologos, id quidem falſum eſt, cum nemo veteres hoc nomine reprehenderit, quod Probabiliſmum defenderint, & quod quiſque in unaquaque controverſia novi proferret, id ſtatim in decretis morum numerandum putarent. Hoc fuit ſtudium novorum Caſuiſtarum, qui nihil in veteribus minus accurate dictum offenderunt, quin ſtatim in numerum probabilium opinionum referrent.

Sed perge modo, & recita reliquam Bayl orationem. „Initium fecerunt ab in„ſigni volumine Thomae Sanchez, & „quidquid in eo eximium eſt, praetermit„tentes; dubia illa, quae de debito ma„trimonii apud alios tractantur impune, „in catalogum ſuum concluſerunt cum „ipſius ad ea dubia reſolutionibus. De „quo indiculo meminit obiter Servinus „Advocatus Regius in Parlamento Pari„ſienſi in una diſertarum illarum oratio„num, quas in eodem Parlamento habuit. „Ludimagiſter Bernenſis Chriſtophorus „Luthardus petulanter admodum illud „ipſum volumen impetit, non obſtante „confirmatiſſima ejus eruditione, & utili„litate ipſis jam perſpecta, qui ſunt de

„ſa-

„ ſalute, & puritate animarum ſolliciti.
„ Cui ſimile opus vix ſperari poteſt intra
„ quingentos annos a quoquam ſcriptore
„ aeque doctum in lucem emittendum: &
„ licet quaedam de materia foedorum
„ actuum tangat, turpior tamen eſt infer-
„ nus; & ſi foedus eſt ſermo, foedius eſt
„ in peccato putreſcere, ut Petrus Bleſen-
„ ſis ajebat Tractatu de Confeſſione. Ille
„ auctor medicus eſt animarum, qui aliquas
„ ſpurcitias movet, ſed ad aegrotantium
„ curationem. Si Angeli eſſent homines,
„ talibus non indigerent „.

Poteſt nequiſquam, cum haec legit, riſum continere? Primum quod ait repreheníores Sancheſii quod in ejus opere eximium eſt, praetermittere, & ea carpere, quae ſunt ab eo, *de debito* matrimonii copioſe diſputata, id quidem exigui eſt judicii. Reſpondebunt enim Sancheſii reprehenſores, non Luthardus modo, aut Tivetus, ſed etiam Petrus Aurelius, & alii, quibus non probatur opus Sancheſii, nihil rectius fieri, quam, ſi, rebus bonis omiſſis, ea reprehendantur, quae ſunt digna reprehenſione: ejuſmodi eſſe copioſorem, quam utilitas poſtulet, & verecundia patiatur, *de debito* matrimonii tractationem: caetera

quae

quae in ejus opere eximia ſunt, ea communia eſſe omnium Doctorum, qui nobis de hoc Sacramento ſcripta reliquerunt. Nam quod addit, ſperandum non eſſe ejus operis aliud ſimile ne intervallo quidem quingentorum annorum editum iri, magno nos metu liberat, ne duo exiſtant ejuſmodi volumina, cum vix unum ferre poſſimus. Cetera omitto; ſunt enim nimis inſulſa praeſertim illud: *& licet quaedam de materia foedorum tractet, turpior tamen eſt infernus* &c. Nihil enim inſulſius a muliercula proficiſci poſſet; & miror ſane, non vidiſſe iſtum Sancheſii vindicem, nemini verendum eſſe, ne ad inferos deſcendat, niſi Sancheſium legat, cum in tanta Theologorum multitudine, qui de hoc Sacramento copioſe, verecundiuſque ſcripſerunt, nihil eſſe cauſſae poſſit, cur quiſquam opus Sancheſii magnopere deſideret, quaeque ſcitu neceſſaria ſunt, ex eo putet eſſe accipienda.

Sed videamus quemadmodum poſt Sancheſii cauſſam, omnium Caſuiſtarum defenſionem ſuſcipiat: pergit enim hoc modo:
„ Facto autem initio a Thoma Sanchez
„ progreſſi ſunt ulterius: quibus etiam
„ *alii in fide ſani* ſe adiunxerunt ſub prae-
„ textu reformandi laxiorem vitam homi-
„ num.

„ num. Unde plures indiculi alii poſtea. „ Qu d facias homine tam imprudente, ut non vereatur Eccleſiae Theologos, Epiſcopos, Romanoſque Pontifices tanta afficere contumelia, ut eos cum haereticis hominibus foedus iniiſſe, incitatoſque fuiſſe praedicet, non ſtudio veritatis, ſed *praetextu reformandi laxiorem vitam hominum* ad vexandos Caſuiſtas, conficiendoſque earum opinionum indices, quas dignas reprehenſione judicarent? Itaque Alexander VII. ſi huic fidem habere volumus, magnum numerum harum opinionum, non quod falſae eſſent, demonſtrareque vellet populo Chriſtiano errandi pericula, ſed *praetextu* neſcio quo *reformandi laxiorem vitam* proſcribere inſtituit, eodemque *praetextu* ducti tot Epiſcopi, virique catholici Alexandri ſtudium laudibus proſequuti ſunt, opinionumque portenta exterminare ſtuduerunt. Quid inſolentius dici poteſt?

Sed cum Bail facile perſpiceret falſitatem earum opinionum, quarum indices confectos eſſe doleret; quid excogitavit ad excuſandos Caſuiſtas? Qua ratione tot indices confecti ſunt ex variis Caſuiſtarum opinionibus, eadem centonem impurum confici poſſe ait ex Libris Sanctorum Patrum, vel

vel antiquorum doctorum : ſic enim concludit. „ Nam & ſic ex omnibus antiquis „ doctoribus ſeligendo ea ſolum,quae infir- „ miora ſunt,cento impurus,& odio haben- „ dus conficeretur . „ Quae tu verba magnis caracteribus cudi curaſti, quo ſignificares , opinor , digna eſse conſideratione. Et ſane digna ſunt , quae Romae etiam atque etiam conſiderentur , eo quod Patrum magnopere laedant auctoritatem, qua de re , cum dixerim epiſtola 2. num. xxxiii. nihil eſt , cur mihi rurſus eſse dicendum putem. Quum nihil ad defenſionem Sancheſii valeat Bail teſtimonium,quippe quod nihil afferat, ut oſtendi , quod viris ſapientibus magnopere probari poſſit , ſequitur , ut de tua defenſione dicamus . Et quoniam errata, artificia,diſſimulationes,ptaeteritiones,& caetera vitia libelli tui ſatis,ut arbitror,accurate & copioſe in ſuperioribus epiſtolis declaraſſe me puto; deinceps , ne eadem nimis ſaepe reperam , ſic agam , ut de his vitiis nihil dicam, tantumque ad ea , quae obiicis, breviter reſpondeam : niſi forte aliquid novum occurrat , quod obiter attingi non poſſit .

CLXXXVIII. Itaque cap.3. male ab Concina tom. 1. pag. 65. deſcriptam eſse dicis Sancheſii propoſitionem : „ Et quidem in

„ pra-

,, praxi exiſtimo nunquam, aut rariſſime de-
,, negandam abſolutionem ob doctrinae
,, chriſtianae ignorantiam; quia ruſtici igno-
,, rantes non habent commode doctorem,
,, *nec confeſsor* poteſt illos inſtruere, nec ipſi
,, majorem addiſcendi capacitatem habent.
,, lib.2.Sum.cap.3 num.21.,, hanc, inquam, propoſitionem male ab Concina relatam eſſe doles, cum Sancheſius ſcripſerit, *& confeſſor poteſt illos inſtruere*, non, ut Concina exſcripſit: *Nec confeſsor poteſt illos inſtruere*: ,, Propoſitio igitur Conciniana, inquis,
,, in qua commutatum eſt *&* in *nec* parum
,, diſtat a proſcripta ,, (Abſolutionis capax eſt homo, quamtumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei),, at propoſitio San-
,, cheſiana, in qua legitur, *&*, non, *nec*, mi-
,, rum quantum a proſcripta diſtet. Ete-
,, nim ſi confeſſor per P. Sanchez, &
,, poteſt, & debet ante abſolutionem tales
,, ignorantes inſtruere, quo modo per P.
,, Sanchez abſolutionis capax erit homo
,, quantumvis laboret ignorantia myſterio-
,, rum fidei ,,? Recte dicis, ſed injuria doles; primo, quia Concina in ſua declaratione huic veſtrae accuſationi ſatis fecerat; deinde, quia quamvis Sancheſius hoc loc. ſcripſerit; *& Confeſsor poteſt illos inſtruere*, ta-

men poſtea negat inſtruere debere: addit enim: ,, immo (ut num.23. dicemus) haec ,, perfecta inſtructio non eſt neceſſaria ad ,, eos abſolvendos ,, quod quidem te ipſo fatente non multum diſtat a propoſitione damnata. Atque audi, quam diſerte num.23. neget id; quod non negaſſe dicis loc. ab Concina cit ,, Immo in rigore etſi poenitens ,, bona valetudine utatur, non tenetur Con- ,, feſſarius eum inſtruere procurando, ut ,, tunc addiſcat, ſed ſatisfaciet proponen- ,, do illi, & explicando praedicta duo my- ,, ſteria, (Trinitatis & Incarnationis) ut ,, ea explicite credat, & inducendo ad ne- ,, gligentiae dolorem, & emendae propo- ,, ſitum ,,.

Putidiſſimum eſt, Noceti, errorem in Caſuiſta reperiri negare, eo quod non in eo numero, qui deſcriptus eſt, ſed in alio ſuperiore, vel inferiore reperiatur, neque dubitare debes, quin Chriſtus ejuſmodi infi- ciationes in mendaciis ſit numeraturus. Ne- que illum ferendum cenſeo, quod ruſticos eſſe putet tam obtuſo, vel imbecillo ingenio, ut ea, quae ſunt Religionis noſtrae praeci- pua capita, addiſcere non poſſint. An ea ſuis viribus addiſcere debent? An deeſt illis divinae gratiae auxilium? Jam tenes multa,

quae

quae ſcribere poſſem, & brevitatis cauſſa praetereo contra ejuſmodi errorem, quem tua intererat occultari.

CLXXXIX. Sed jam caput libelli tui XIX. expendamus, in quo vindicare te dicis ab injuſta criminatione Sancheſium, quem Concina Tom. 3. pag. 51. docuiſſe ſcribit hanc ſingularem opinionem: „ Si Aſtrologus ille, „ vel divinator operam ſuam appoſuit, & „ arte diaboli res ita evenit, non tenetur „ pretium reſtituere, quia ipſe operam „ ſuam, etſi turpem, appoſuit, ... quia ea „ diligentia a Mago illo appoſita eſt praetio aeſtimabilis „. *De Sancheſio. Iterum.*

Deſcribis ipſe ejuſmodi ſententiam, & deinde „ injuſta, inquis, & ad invidiam „ aptiſſima criminatio eſt, Patrem Sanchez docuiſſe opinionem *ſingularem*. Habet enim illa opinio patronos antiquiores, quorum unum ſi P. Concina legiſſet, „ a nota ſingularitatis, & ab acerbis conviciis temperaſſet. Illam igitur docuerunt ante Sanchez S. Antoninus p. 2. tit. „ 2. cap. 5. his verbis „.

Priuſquam Antonini verba recites duo praeponam neceſſe eſt. Primum, male abs te intelligi vocem illam *ſingularem*; non enim ſignificat, ut tu quidem interpretaris, eam

Hh 2 ſen-

modo: „ Quod ſi loquamur de pretio acce-
„ pro hoc judicio ferendo Gratianus cap.
„ qui habetis xiv. quaeſt. v. docet paupe-
„ ribus reſtituendum tamquam turpe lu-
„ crum . Sed diſtinguendum eſt ſic . Si nul-
„ lam operam appoſuit, ut arte diaboli
„ ſciret Aſtrologus ille, quod nullo alio
„ pacto ſciri potuit, ſive effectus evenerit,
„ ſive non, tenetur pretium reſtituere dan-
„ ti. Quia nullam diligentiam adhibuit,
„ ſed caſu effectus evenit, aut non evenit.
„ At pecunia datur propter operam ab illo
„ impenſam, & quidem utilem ad effectum
„ conſequendum, ſicut ſi medicinae pror-
„ ſus ignarus, aut inutilia aegro applica-
„ ret, teneretur pretium curationis aegro
„ reſtituere, quamvis caſu liber a morbo
„ evaſerit. Et quamvis conſulens aſtrolo-
„ gum in ea re deliquerit offerens pretium
„ pro re turpi, verior ſententia habet re-
„ ſtituendum ipſi, donec per ſententiam
„ condemnetur, ut id pretium amittat. Si
„ vero aſtrologus ille, vel divinator operam
„ ſuam appoſuit, & arte Diaboli res ita
„ evenit, non tenetur pretium reſtituere,
„ quia ipſe ſuam operam etſi turpem appo-
„ ſuit: & acceptum pro opere turpi non
„ eſt obnoxium reſtitutioni juxta veriorem

 „ ſen-

„ ſententiam . Atque haec omnia docent
„ Navarra ibidem num. 163.& 164. & Ma-
„ nuel 1. ſummae 2.editione cap.VII.num.
„ 4. Salas 1. 2. quaeſt. IX. art. 5. tract. 5.
„ diſp. 11. ſect. 8. num. 79. in fine . Ad-
„ duntque indiſtincte, teneri pretium reſti-
„ tuere, quando res non ita evenit . Sed id
„ non credo , quando ipſe diligentiam
„ adhibuit arte diaboli ad eum effectum
„ neceſſariam; ſicut medicus, quando juxta
„ artis praecepta medicatus eſt,non tenetur
„ pretium reſtituere aegro pereunti , quia
„ ea diligentia a mago illo appoſita eſt pre-
„ tio aeſtimabilis . Nec in hoc caſu tene-
„ tur damna & expenſas conſulenti reſti-
„ tuere, ſed tantum quando nullam operam
„ impendit , aut ejus Diabolicae artis
„ ignarus erat „ .

Hic eſt locus Sancheſii , ex quo ejus ſententia , & opinandi ratio facile perſpicitur : quem locum cum Concina integrum deſcripſerit , atque adeo oſtenderit, eſſe tres alios, quos laudat Sancheſius ejuſdem ſententiae fautores , non video, cur tibi ex eo, quod eam ſingularem appellarit , viſus ſit uniusSancheſii eſſe ſignificare.In eo Sancheſius ſuus eſt,quod repudiet exceptionemNavarrae, & aliorum, qui Aſtrologum, ſi quod even-

eventurum praedixit,non evenit, pretium, quod accepit, reſtituere debere declarant, contraque ſtatuat, ſive evenerit, ſive non evenerit id,quodAſtrologus praedixit,modo opera Diaboli in praedicendo ſit uſus, pretium reſtitui non oportere. Sed hoc ipſum, cujuſque modi ſit, deſcripto Sancheſii loco, fuit ab Concina indicatum. Quare concludendum eſt, accuſationem tuam, ſi res ipſa conſideretur, falſam, ſi vocis *ſingularis* ſignificationem ſequamur, ſimilem eſſe ceterarum,in quibus latinas voces haud ſatis latine interpretaris. Denique, ut id obiter dicam, ſi vox *ſingularis* ita, ut dicis, accipi deberet,hoc ſummum Concinae vitio dare poteras, quod ſibi contradiceret, eo quod ſingularem appellaret Sancheſii ſententiam, quam ei cum Navarra, & aliis oſtenderet eſſe communem.

CXCI. Nunc venio ad Antoninum, qui cum ſententiae Sancheſii perverſitatem communicare laboras. Sed vehementer erras.RecitaAntonini ſententiam: „ Tertio modo dicitur illicite acquiſitum, non „ quod ipſa acquiſitio ſit illicita; ſed illud, ex quo acquiritur eſt illicitum: ex „ quo transfertur Dominium,nec competit „ repetitio, ut in meretricio, & hujuſmo-

 „ di.

„ di. Nam meretrix turpiter agit, & contra legem Dei fornicando, ſed ipſa acceptio, vel datio pecuniae pro hujuſmodi illicito non eſt illicita, nec contra legem Dei. De illicitis ergo iſto tertio modo ſecundum Thomam, & Raymundum poteſt dari Eleemoſina; & poteſt etiam retineri, niſi ſuperfluum per fraudem & dolum mulier extorſiſſet, quia illud eſt reſtituendum. Et ad hoc pertinent lucra facta ex hiſtrionatu illicito, ex duello, ex Torneamento; ex ſertis factis de floribus & aliis hujuſmodi, quorum uſus eſt ad laſciviam; *ex deciis factis ex arte mathematica, ſeu divinatoria* „.

Quod in extremis verbis docet Antoninus non eſt, ut putas, doctrinae Sancheſii conſentaneum. Videtur loqui de talis, in quorum lateribus ſigna quaedam ſuperſtitioſa, aut figurae eſſent impreſſae ſimiles earum, ex quibus veteres, teſte Pitiſco V. *talus*, ludendo auguria capiebant. Hos talos qui faceret, aut venderet, hunc, etſi peccaret, pretium tamen reſtituere debere negat Antoninus: qui artis, vel operae Diaboli neque meminit, neque meminiſſe dici poteſt, ideo quod multa ſuperſtitioſe fieri poſſint ſine ulla cum Diabolo conſuetudine. At

At tu, modo Sancheſio conſulas, nihil dubitas Antoninum afficere conrumelia, & argumentando efficere conari, eandem Sancheſii, & Antonini eſſe ſententiam. Cavillaris enim, docere Thomam 2.2. quaeſt.95. art. 2. quod *omnis divinatio ex operatione daemonum provenit*; & art. 3. *quod omnis divinatio utitur ad praecognitionem futuri eventus aliquo daemonum conſilio, vel auxilio*, ex quibus ſit conſequens, in eandem ſententiam locutos eſſe Antoninum, & Sancheſium eo quod „ quemadmodum, inquis, „ P. Sanchez dixit *Aſtrologus ille, vel di-* „ *vinator*; ita Sanctus Antoninus dixerat; „ *ex arte mathematica ſeu divinatoria* „. Ludis imperitos. Nam Thomas de auxilio Daemonis, quo utitur divinator, ſtatim addit „ quod vel expreſse imploratur, vel „ praeter intentionem hominis ſe occulte „ Daemon ingerit ad praenuntiandum futu- „ ra quaedam, quae hominibus ſunt igno- „ ta „. Quantum autem interſit, utrum auxilium ab Daemone petatur, an aliquid ſuperſtitioſe agatur, in quod daemon ſeſe ingerat invocatus, probe noſti, cum Thomas ibidem ad 1. diſerte doceat, longe gravius eſſe *daemones invocare, quam aliqua facere, quibus dignum ſit, ut ſe*

dae-

daemones ingerant : & Sancheſius ipſe hac eadem diſtinctione utatur, velitque, divinatorem, *ſi nullam operam appoſuit, ut arte Diaboli ſciret .... quod nullo alio pacto ſciri potuit, ſive effectus evenerit, ſive non*, pretium reſtituere debere: quod quidem falſum eſſet, ſi quod objicis ex divo Thoma: *omnis divinatio utitur ad praecognitionem futuri eventus aliquo daemonum conſilio vel auxilio* ita verum eſſet, ut nihil referret, utro modo ejuſmodi auxilio Divinator uteretur. Quamvis enim auxilium ipſe ab daemone non imploraret, daemon tamen ejus operi ſe ſe implicaret; quod proinde dignum eſſet pretio, quemadmodum, cum opera daemonis perficitur dignum ab Sancheſio pretio judicatur.

Quum igitur magni interſit utrum divinator arte daemonis utatur, ejuſque auxilium imploret; an aliquid agat ſine ulla cum daemone pactione, aut conſuetudine, quo nam modo Antoninum, qui nullam memorat cum daemone pactionem, petitumve ab eo auxilium, ſentire dicis cum Sancheſio, qui artem ipſam, daemonis perfectamque ejus opera divinationem eſſe dicit *pretio aeſtimabilem*, quod reſtituere non debeat divinator?

Quod dicis, ſententiam Sancheſii ſaltem

tem in hac ipſa Antonini, & aliorum, qui negant reſtitui debere lucrum comparatum ex maleficio, quod juſtitiae non repugnet, *implicite* contineri, id quidem eſt, quod Concina negat. Si male tibi negare videtur licet eum oppugnes; ſed cum nihil falſi ſcripſerit de Sancheſio, injuſtum criminatorem appelles non licet.

CXCII. Venio ad caput libelli tui xxxv. ubi deſcriptis his Concinae verbis: Tom. 9. pag. 225.: *Quare non placet opinio Leandri, qui diſp. 6. quaeſt. 21. negat cum Bonaccina, & Sanchez ſubjacere cenſurae huic illos, qui gravi timore perterrefactas filias cogunt profiteri ſtatum monaſticum.* „ Haec eſt, inquis, „ manifeſta impoſtura contra P. Sanchez. „ P. Sanchez non modo non negat ſubjacere illi cenſurae, qui gravi timore, ideſt „ cadente in conſtantem virum perterrefaciunt filias, ut profiteantur ſtatum Monaſticum; ſed expreſſae affirmat: Parum „ hoc, ſed affirmat, ut certum: etiam parum: „ ſed notat, reſpectu filiarum poſſe eſſe gravem, & cadentem in conſtantem virum „ timorem illum, qui reſpectu perſonae „ fortioris levis eſſet. Audi ipſum lib. 4. „ in Decalog. cap. 4. num. 4. ubi agit de „ illa cenſura impoſita a Tridentino cogen- *De Sancheſio tertio.*

„ ti-

„ tibus feminas: *Tertium dubium eſt, an* „ *comprehendantur qui ſolo metu levi, aut* „ *non cadente in virum conſtantem cogunt.* „ *Et quidem certum eſt comprehendi, quando is metus reſpectu perſonae, cui incutitur, eſt cadens in virum conſtantem.*

„ At etiam hic deceptus eſt a Leandro. Falſum. Nam neque ipſe Leánder „ docet ſententiam, quam illi affingit Pater Concina, neque citat pro ea Sancheſium. Hallucinatio P.Concinae in eo fuit, „ quod non diſtinxit *timorem gravem*,& timorem gravem *juſte incuſſum*: ipſe locutus eſt de timore gravi in genere,& Leander locutus eſt de timore gravi *juſte incuſſo* in ſpecie,& pro hac citavit Sanchez „ de quo ſtatim. Sed prius audiamus Leandrum Tract.1. de obligatione parentum „ erga Filios diſp. 6. quaeſt. 21. ubi ſic. „ *An incurrant dictam cenſuram parentes,* „ *qui metu gravi juſte illato cogunt filias ad* „ *Religionem? Reſpondeo quod non incurrant, quia tunc non intervenit injurioſa* „ *coactio parentum: ſic Bonacina loco citato* „ *num.* 4. *Pellizarius num.* 30. *& tandem* „ *Sanchez num.* 5.

Tum hujuſmodi deſcriptis verbis, quibus explicat Sancheſius ejuſmodi ſententiam

tiam rurſus ad Concinam rediens : „ de-
„ truncavit, inquis , illas voces *juſte illato*
„ atque ita deformavit ſententiam Lean-
„ dri , & multo magis Sancheſii adeo limi-
„ tate loquentis , ut oſtenſum eſt .

Hic ego praeter unam , ut tu ipſe appellas , Concinae hallucinationem , qui non ſatis attendit genus quaeſtionis ab Leandro propoſitae , nihil aliud video , quod jure reprehendas . Nam quod erratum initio capitis manifeſtam imposturam , deinceps hallucinationem appelles , id quidem eo pertinet , quo pertinere dixi epiſtola I. num. VII. verba illa proemii libelli tui „ Quac-
„ cumque noſtris, vel extraneis auctoribus
„ impoſita ſint , illud ſincera perſuaſione
„ pro certo habeo, nihil malo animo actum,
„ ſed omnia vel ab incuria quadam , vel a
„ nimia feſtinatione , vel ab otii defectu
„ profecta eſſe „ . Nimirum quae hic nulli animi vitio aſſignare te dicis , ea in toto libello imposturas , & calumnias appellas , quaſi haec crimina ſine animi vitio intelligi poſſint. Rurſus quae ab nimia feſtinatione, indiligentiaque profecta eſſe ſcribis, ea paſſim ſtudio vellicandi , & certi potiſſimum inſtituti homines in contemptum & odium adducendi luculenter aſſignas . Non eſt igitur mi-

mirum, ſi cum de toto genere accuſationis, & nomine ipſo, quo Concinae errata appelles, nihil certi habeas, eodem modo varies in ſingulis nominandis, & unum& idem modo impoſturam, eandemque manifeſtam, modo hallucinationem appelles. Credo, te ea re eſſe implicatum, quod cum Concina non ullum Sancheſiii locum, ſed Leandri ſententiam minus accurate retuliſſet; neque Leander eſſet ex eo genere hominum, quos ille in invidiam adduci cuperet, nulli ſtudio, vel animi vitio aſſignare poſſes erratum, quod quia Sancheſium nonnihil attingeret, impoſturam appellare velles.

De Sancheſio quarto. CXCIII. Sed pergamus ad Caput xxxviii. libelli tui. Hic doles decurtatam Sancheſii ſententiam, quam Concina Tom. 4. pag. 355. in numerum earum, quas damnandas eſse cenſet, refert hoc modo: „ Si ruſticus a „ viro exiſtimato docto, ac pio audiſſet, for- „ nicationem, & furtum externa eſſe pecca- „ ta: at licere fornicandi, aut furandi deſi- „ derium: quibuſdam neotericis doctis vi- „ detur, hanc ignorantiam minime excuſa- „ re, quod hic libere velit obiectum exter- „ num, quod eſſe peccatum novit... Quam- „ vis hoc probabile ſit, probabilius tamen „ credo, illum actum internum excuſari om- „ nino

„ nino a malitia. Sanchez lib. 1. in deca-„ calog. cap. 16. num. 16. & 17. „

Clamare te dicis : „ ſententiam Patris „ Sanchez non eſse integre propoſitam , & „ detruncata illa eſse , quae non modo „ eam temperant ; ſed ejus ſenſum immu-„ tant „ : hoc eſt ea verba, quae ſtatim addit Sancheſius : *ratione illius ignorantiae invincibilis* . At non erat opus clamore ; ſed magis attentione ad id, quod propoſitio ſignificat, & in quo ſitus eſt error Sancheſii. Nam ipſa propoſitio,ejuſque pars illa , quae certe ab Concina omiſſa non eſt, *quibuſdam neotericis doctis videtur hanc ignorantiam minime excuſare*,aperte ſignificant,quaeſtionem eſſe,vinci ne poſſit, an non poſſit illius ruſtici ignorantia ; atque adeo excuſet ne , an non excuſet ejus peccatum. Quod quidem negare non potes , niſi forte ignorantiam eſse putas, quae licet vinci poſſit, peccatum excuſet ; aut talem, quae non excuſet, licet vinci non poſſit.Satis igitur ex deſcripta ab Concina propoſitione intelligitur, qua de re agatur,& quamobrem Sancheſius illius ruſtici peccatum excuſet ; nimirum quod ejus ignorantiam *invincibilem* eſſe velit ; nec quiſquam aliud intelligere poteſt, ſive ea verba : *ratione illius igno-*

ignorantiae invincibilis, addantur, ſive omittantur.

CXCIV. Contendis cap. XII. Sancheſium, contra quam aſserat Concina Tom. 4. pag. 408. docere lib. de Mat. d. 46. n. 21. grave eſse peccatum: „ abſque urgenti neceſſitate virum conſpicere verenda feminae, aut e contra ... quamvis non ex libidine fiat, ſed ex indiſcreta mortificatione, aut curioſitate .... quia valde honeſtati naturali adverſatur.

At Sancheſium in contraria fuiſſe ſententia ſcribunt Salmanticenſes tract. XXVI. cap. 3. punct. 1. num. 6., & jam Concina in ſua declaratione num. 1. ſcripſerat horum, aut Leandri teſtimonio adductum ſe fuiſse, ut „ Tom. 2. P. Sanchez pro opinione, quae dicit licere duellum *ad evitandum periculum vitae, honoris, aut fortunarum*: Tom. IV. pag. 408. eundem pro opinione, grave non eſse peccatum *aſpectum membrorum turpium*: pag. 444. Eſcobarium, et Leſſium pro parvitate materiae *in genere* luxuriae laudaret.

Nunc ego, rebus cognitis, & diligenrer expenſis contra declaro, Salmanticenſes, atque adeo, qui eos ſecutus eſt, Concinam, quod attinet ad ſententiam de duello, nihil

nihil erraſse, hoc uno excepto quod num 8. pro 7. tantum indicaſſe; eoſdem recte laudaſse Leſſium, forte etiam Eſcobarium in ſubſidium opinionis, quae non negat in genere luxuriae materiae parvitatem; proindeque ut de aliis Concinianae declarationis capitibus aperte demonſtravi, ne ad ſummum Pontificem quidem contra Chriſtianam Theologiam, ejuſque Auctorem talia eſse delata, quae veritate niterentur, ullamve juſtam conquerendi cauſsam continerent.

CXCV. Itaque venio ad caput IIII. quod ita inſcribis: *Refellitur impoſtura impacta in indice P. Sanchez*. Indicis Tom. 5. V. *Sanchez* haec verba ſunt: „ Sanchez (P. Thomas) laxam propoſitionem docet de jejunio, pag. 154. *Laxe* eximit a jejunio „ etiam diebus, quibus non concionantur, „ ter, vel quater concionantes in hebdomada pag. 328. „ His verbis deſcriptis „ P. Sanchez, inquis, repraeſentatur legentibus indicem tamquam auctor duplicis diverſae laxitatis, quarum una referatur a P. Concina ſua pag. 154. & altera „ ab eodem referatur ſua pag. 328. Atqui „ ſciant lectores in utraque pagina ſermonem eſſe de una, eademque opinione P. „ Sanchez, quam P. Concina pag. 154. re- *De Sanchesio. quarto.*

 „ cen-

„ cenſuit inter damnabiles; & deinde refri-
„ cat, atque impugnare conatur pag. 328.

Ego vero de indice nihil dicam. Satis enim de hoc genere accuſationis dixiſse me puto in extrema Epiſtola 6, quae abs te omnino legi debent. Illud omittere non poſſum, quod ſcribis in extremo capite, Concinam plenam acrimoniae & irriſionis ad hanc ſententiam refellendam adhibere orationem, quo quidem genere conqueſtionis mirifice delectari vos conſtat, cum nihil occurrat in libellis veſtris, niſi, Concinam de ſententiis morum ita diſputare, ut non gravem Theologum, ſed ineptum agat declamatorem, magiſque conviciis, & maledictis, quam optimo argumentandi genere, quae bene ab Caſuiſtis conſtituta ſunt, ea pervertere conetur. Itaque paſſus non es in hoc argumento amplificando diligentiam deſiderari tuam, cum haec eadem frequenter doleas, atque hoc caput libelli tui, deſcripta Sancheſii ſententia, ita concludas: „ Haec
„ eſt ſententia P. Sanchez, quam P. Conci-
„ na, ut dictum eſt, recenſet ut damnandam
„ pag. 154; „ quam acriter, & irriſorie
„ impugnare conatur pag. 328., & quae
„ ab indicum compoſitore repraeſentatur,
„ ut duplex, & diverſa „.

At

At videamus ecquid iſta ſit acrimonia, & irriſio, qua Concina Sancheſium refellit. Recita ſententiam Sancheſii:,, Tertio nota,
,, quod quando ex hujuſmodi operibus
,, contrahatur tantus labor, ut non ſecum
,, compatiatur jejunium, relinquendum
,, eſt arbitrio boni viri;(*non dicit ipſius Con-*
,, *cinatoris*)qui debet judicare habita ratio-
,, ne nontantum roboris ſecundum ſe, ſed
,, etiam qualitatis,& complexionis perſonae
,, in particulari, & modi concionandi. Hinc
,, Concionatores, qui in quadrageſima
,, concionantur ter, vel quater in hebdoma-
,, da *communiter,& regulariter excuſantur,*
,, ita ut in nullo die Quadrageſimae te-
,, neantur jejunare, & hoc maxime ſi cum
,, fervore concionentur.... Ratio, quia hoc
,, videtur requiſitum ad robur neceſſa-
,, rium ad bene,& fructuoſe concionandum:
,, quia, ut viri docti dicunt, qui debet offi-
,, cium exercere, non tantum attendere de-
,, bet, an poſſit in hac quadrageſima, vel
,, in hoc die ſimul jejunare, & praedicare.
,, Sed etiam, ut conſerventur vires, ut poſ-
,, ſit plures dies, & quadrageſimas prae-
,, dicare. Sic docti juniores ,,.

Nunc quoniam te cupere dicis, ut conferant lectores Sancheſii ſententiam

cum locis Conrinianis, recita ex his locis hujus ſententiae confutationem, quo citius iſtam comparationem inſtituant, intelligantque quemadmodum irrideantur ab Concina caſuiſtarum opiniones. „ Hanc opinionem „ inter propoſitiones nimium laxas recen- „ ſui cap. 1. num. 18. ex ea enim ſequitur, „ etiam artifices, qui ter in hebdomada ar- „ tes laborioſas exercent in nullo die ad „ jejunium in quadrageſima teneri, quod „ quam ſit abſurdum per ſe patet. Neque „ iis diebus, quibus Concinatores non „ exercent miniſterium concionandi, jeiuna- „ re debent? Quia tribus in hebdomada „ diebus praedicant, aliis quatuor diebus je- „ junium ſolvere poterunt? Cur? Quia „ docti juniores docent, conſervandas vires „ eſſe pro futuris quadrageſimis: *quia hoc* „ *videtur requiſitum ad robur neceſſarium* „ *ab bene & fructuoſe concionandum*. Pa- „ pae! Fructus evangelicae praedicationis „ non ex corporis maceratione, non ex „ precum fervore, ſed ex robore pleni ven- „ tris, ex pinguedine terrae? Quid Hiero- „ nimus ad Nepotianum lib. 2. epiſt. famil. „ Epiſt. XII. clamat: *Non confundant ope-* „ *ra tua ſermonem tuum*; *ne cum in Eccle-* „ *ſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat*:

„ *Cur*

„ *Cur ergo heac, quae dicis, ipſe non facis?*
„ *Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de*
„ *jejuniis diſputat. Accuſare avaritiam &*
„ *latro poteſt.* Revera praefata opinio Apo-
„ ſtolicum miniſterium, quod divinae gra-
„ tiae potiſſimum innititur, deriſioni, &
„ ſibilis exponit, atque Concionatores ip-
„ ſos ad nimias provocat laxitates.

Haec tibi viſa ſunt plena irriſionis, & acrimoniae; ſed conſiderare debueras, ea Hyeronimi eſſe, non Concinae, ne non hunc reprehendere, & irriſorem appellare, ſed magis virum ſanctiſſimum, a quo Concina doctrinam Sancheſii irrideri demonſtraret, improbare videreris. Ex quo loco intelligi volo, ecquem vos omnibus horis declamatorem, Caſuiſtarumque dicatis irriſorem; ſcilicet eum, qui vel erroris magnitudine commotus, vel Patrum doctrina inſtructus in ſententias novorum Gaſuiſtarum non nunquam acriter invehitur, aut quae ſunt digna irriſione, ea irridendo refellere conatur. Et ſane quid obtuſius dici poteſt, quam nullo Quadrageſimae die jejunare debere Concionatorem, *quia hoc videtur requiſitum ad robur neceſſarium ad bene, & fructuoſe concionandum?* Quid contra elegantius, &, quia Hieronymi eſt, ſanctius op-

 poni:

poni: *Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de jejuniis diſputat?* Utinam tamen non plures Sancheſio, quam Hieronymo auſcultandum putarent.

De Sancheſio ſexto.

CXCVI. Quod ſcribis in capite LXI. plenum eſt earum argutiarum, quas multoties irriſi, & indignas eſſe dixi ſcriptore, qui actionem malae fidei, vel impoſturae inſtituat contra adverſarium, preſertim, ſi, quod opponit, id ſe facti evidentia demonſtraturum promiſerit. Itaque ſcribit Concina Tom. *6* p. 437. „Quid
„ ſi confeſſarius pro poenitentia praeſcri-
„ beret tres Miſſas audiendas? Poſſet ne
„ eodem tempore omnes audire. Affirmat
„ P. Sanchez lib. 1. cap. 14 num. 11. cui
„ non repugnat Ledeſma... Sed haec opi-
„ nio mihi improbabilis omnino eſt, quia
„ legem circumvenit, immo eam deludit.
„ Confeſſarius, qui tres audiendas Miſſas
„ praeſcribit, majorem ſe imponere poeni-
„ tentiam intendit, quamſi unam, vel duas
„ juberet. Porro tres miſſas eodem tem-
„ pore audire non eſt major poenitentia,
„ quam unicam audire. Nemini Chriſtia-
„ norum lumine naturali judicanti haec
„ caſuiſtica opinio in mentem veniret.

Tu contra in doctrina Sancheſii nihil tale contineri dicis, lectoreſque ſedulo mo-

nes,

nes,neConcinae fidem habeant,qui ſic exponit doctrinam Sancheſii, ut ſuadeat, etiam de tribus *Miſſis*, quas *Confeſſarius* cuipiam audire praecipiat, eſſe locutum. „ Putabitis, inquis, lectores aequiſſimi, P.Sanchez expreſſe, & conceptis verbis loqui de tribus Miſſis a Confeſſario pro poenitentia praeſcriptis. Id enim omnino perſuadent, immo propinant recitata verba P. Concinae. Atqui ſcitote, P. Sanchez de Miſſis pro poenitentia a Confeſſario praeſcriptis ne verbum quidem facere, neque iſtud ex ejus generali doctrina inferri poſſe; immo potius inferri oppoſitum. En prius verba Sancheſii loc.cit.*Poteſt uno, & eodem tempore diverſis actibus duplici praecepto ſatisfieri quando unum non impedit aliud: quod nullibi temporum diverſitas praecipiatur. Atque ita fatentur fere univerſi doctores. Nam dicunt poſse quempiam tempore, quo Miſsam in feſto praeceptam audit, recitare horas Canonicas, vel quaſcumque alias preces, ad quas ratione ordinis, voti, aut poenitentiae injunctae tenetur.*

„ Tum poſt citatos plurimos auctores pro praefata ſententia ita pergit num. 12. „ *Hinc deducitur, eum, qui duplicem*

„ *Miſsam audire tenetur, poſse eas ſimul au-*
„ *dire, dum eae ſimul in duplici altari cele-*
„ *brantur. Sic Petrus de Ledeſma in ſumma*
„ *Sacramen. ubi de Euchariſtia in cap. 27.*
„ *paullo ante Concluſionem 9.*

„ Primum nihil expreſse habet San-
„ chez, ut dicebam, de Miſſis a Confeſſa-
„ rio praeceptis pro poenitentia. Loqui-
„ tur quidem de precibus pro poenitentia
„ injunctis, & has docet recitari poſse
„ dum quis audit Miſsam in feſto praece-
„ ptam; ſed Miſſas pro poenitentia praece-
„ ptas nuſquam nominat „.

Nuſquam nominat? Recita ſententiam Sancheſii, ſed ita, ut nihil omittas, ex quo, quid ſentiat, recte intelligi poſſit. Neque enim neceſſe eſt, ut cetera deſcribam, quibus efficere conaris, Sancheſium loqui *de duabus Miſſis a duobus diſſimilibus praeceptis imperatis*, de quibus conſtat locutum eſse Ledeſmam, nihil enim ſunt aliud, niſi argutiae quaedam, verborumque circuitiones. Itaque Sancheſius num. ut dicis 11.
„ Hinc deducitur, inquit, eum, qui dupli-
„ cem Miſsam audire tenetur, poſse eas ſi-
„ mul audire dum eae ſimul in duplici al-
„ tari celebrantur, quia poteſt utrique eſse
„ praeſens, & unica attentione ad Deum
„ ha-

„ habita ſatisfacere. Sic Major in 4. di-
„ ſtin. 12. quaeſt. 8. dub. 1. in ſolut. ad 1.
„ P. de Ledeſma in ſum. Sacram. ubi de
„ Euchariſt. in cap. 27. paullo ante conclu-
„ ſionem 9. fol. 343. Et idem de triplici
„ Miſsa ait Major. Quod etiam verum cre-
„ do, quando altaria ita eſſent conjuncta, ut
„ vere diceretur audiens eſse praeſens mo-
„ raliter illis „.

Nunc qui hunc locum cum eodem abs te deſcripto conferet, nae is perſpiciet, te idcirco non memoraſse Majorem, quem Sancheſius laudat, & hujus extrema verba, in quibus eſt de tribus Miſſis, tacitum praeteriiſse, quod ex his perſpicuum fieri intellexeris, idem omnino ſenſiſse Sancheſium, quod Concina refellit. Nam cum Major loquatur de tribus Miſſis *poenitentiae* loco ab Sacerdote praeceptis, idque probare ſe dicat Sancheſius, modo altaria non ita diſtent, ut ei, qui audit, non ſint praeſentia, quod nemo ſanus negare poteſt, manifeſtum eſt, nihil Concinam *propinaſſe* lectoribus, quod in oratione, ſententiaque Sancheſii non aperte contineretur. Itaque audi Majorem loc. ab Sancheſio indicato. „ Contra hanc Concluſionem argumentor. Ex
„ ea ſequitur, ſi presbyter injungat mihi
„ tres

„ tres Miſſas, quod poſſim ſimul ſatisface-
„ re illis tribus praeceptis tres Miſſas in
„ tribus variis altaribus audiendo, quod
„ non videtur dicendum .... Oportet vide-
„ re intentionem injungentis mihi tres Miſ-
„ ſas. Si enim injungat eas incompoſſibi-
„ liter, tunc non eſt apparentia ſequelae:
„ utpote ſi injungeret tres Miſſas in variis
„ diebus audiendas: vel in variis locis.
„ Si vero intendat qualitercumque audien-
„ das eas injungere; concedo illatum,
„ quia praecepta illa ſunt compoſſibilia:
„ & ſi dubitem de intentione ſacerdotis
„ quaeram ejus mentem „. Quid igitur negas? Quid cavillaris? Quidnam tanta illa circuitione verborum efficere conaris? At Sancheſius, inquis, laudat Ledeſmanum, qui *loquitur de duabus Miſſis a duobus diſſimilibus praeceptis imperatis*. Fateor, ſed hoc ſummum probat, nihil intereſse opinione Sancheſii, utrum praecepta, quibus quiſpiam duas, aut tres Miſſas audire compellitur, ſimilia ſint, an diſſimilia, quominus, ſi omnes uno tempore audiat, ejuſmodi praeceptis ſatisfacere dicatur. Deinde, etiamſi quidpiam opinione Sancheſii intereſſe evinceres, utrum praecepta ſimilia ſint, an diſſimilia, nihil id quidem juvare poſſet cauſsam

San-

Sancheſii, qui diſerte probat ſententiam Majoris de tribus *Miſſis* uno tempore audiendis, quas tamen idem ſacerdos audiri praecepit.

CLCVII. Plenum ſimilium rerum eſt caput libelli tui LXXVII. ubi contendis invidioſe expoſitam, & valde ab Concina depravatam fuiſse ſententiam, quam tradit Sancheſius lib. 1. Conſil. cap. 7. dub. 2. de paupere, qui quod ab Pontifice Romano, vel ab aliquo Epiſcopo impetraſset, aliis locaret jus mendicandi. Itaque primum Concinam contra opinionem Sancheſii ita diſserentem inducis. „ Utrum opinio, quam P. Sanchez „ lib. 1. Conſil. cap. 7. dub. 2. docet, pauperem nempe, qui jus mendicandi in urbe obtinuit, poſse hoc jus viro non pauperi locare probabilis ſit? Reſpondeo, eandem opinionem defendit P. Sporer num. 23. quia eleemoſyna etiam tunc datur pauperi mediate, quia datur conductori ſolventi penſionem pauperi. Nonne pauper aeger per alium divitem petere eleemoſynam valet? Hae ſunt quaeſtiones, quae in Patribus Sanctis diſcuſſae non reperiuntur. Opinio haec falſa eſt, & fraudis plena. Fraus quippe populo fieret, qui pauperi non diviti eleemo- *De Sancheſio ſeptimo.*

„ mo-

„ moſynam dare ſe arbitratur. Dum pau-
„ per aegrotus per alium etiam divitem
„ eleemoſynam petit, vere eleemoſyna
„ pauperi non diviti porrigitur, nulla-
„ que fraus occurrit. At dum pauper lo-
„ cat diviti jus mendicandi pacto pretio,
„ tunc dives conductor nomine proprio
„ eleemoſynam petit, & eidem datur.
„ Praefata opinio ordinem divinae provi-
„ dentiae pervertit, quae vult, pauperes
„ patientia, humilitate, & verecundiae
„ tolerantia ſtipem ſibi comparare. Quinam
„ pauperes iſti, qui reditibus vivunt? Sed
„ opinio haec contemnenda non refellenda
„ eſt, potiſſimum, quod ſi praxim ſpectes
„ chimaerica apparet. Quis enim eſt, qui
„ jus mendicandi a paupere conducere ve-
„ lit nulla egeſtate preſsus? Nemo ſane,
„ niſi aut avarus, aut veterator, aut alea-
„ tor, aut projectae frontis homo.

Hactenus Concina Tom. 7. pag. *629*. Nunc te audiamus adverſus eum diſſerentem, & Sancheſii cauſsam perorantem. Et ſane non dubito, quin magnam ſapientibus viris allatura ſit oratio tua voluptatem, in qua egregia fides, & liberalis ingenii artificia mirifice reſplendent. Itaque deſcripta Concinae oratione: „ Si P. Sanchez, in-

„ quis,

„ quis, doceret opinionem, quam ipſi affingit P. Concina, ſine dubio doceret opinionem falſiſſimam, & plenam fraudis; ſed cum ejus doctrina mirum in modum immutata ſit, ac deformata nulla reprehentione dignus eſt. Itaque P. Concina ita depingit lectoribus ſententiam Sancheſii, tanquam ſi iſte defenderet jus illud mendicandi locari poſse conductori diviti, qui pro ſe eleemoſynam petens populo fraudem faceret, atque ad ſe veteratorio artificio nummos averteret, dum populus non diviti, ſed pauperi eleemoſynam praebere ſe arbitratur. Verum apud Patrem Sanchez de conductore divite ne verbum quidem, ſed has omnes divitias huc contulit P. Concina de ſuo: quibus hoc lucratus eſt, ut opinio Sancheſii ridicula atque abſurdiſſima lectoribus appareret. En totam illam dubitationem ſecundam a capite ad Calcem.

„ *An qui habet licentiam Papae, vel Epiſcopi ad petendam eleemoſynam uno anno vel per ſe, vel per alium, ut ſuae neceſſitati conſulat, poſſit hoc jus locare alteri praetio aliquo? Duplex eſt ſententia. Prima dicit, non poſſe: & teneri alterum reſtituere, quod acquiſierit ultra pretium*

„ *lo-*

„ *locationis, quod dedit, & ſuam ſuſtenta-*
„ *tionem, vel illi, cujus erat licentia, ſi*
„ *nondum conſultum erat ſuae neceſſitati; ſi*
„ *autem conſultum erat, aliis pauperibus.*
„ *Quia intentio Pontificis concedentis hanc*
„ *licentiam non eſt, ut locetur. Sic Manuel*
„ *Rodriguez in Bulla Compoſit. num. 51. in*
„ *fine, Cordub. ſum. quae. 98. Secunda ſen-*
„ *tentia probabilior dicit, poſſe: nec cauſsari*
„ *obligationem reſtituendi, quia expreſso ali-*
„ *quo jure non prohibetur locare; nec ſit inha-*
„ *bilis ad pretium locationis recipiendum, &*
„ *locat illud jus, quod habet, eſtque contractus*
„ *fortunae, quo uterque lucri, & jacturae*
„ *periculo exponitur. Sic Henriquez lib. 7.*
„ *de Indulg. cap. 35. num. 5.*

„ Haec eſt integra dubitatio illa ſe-
„ cunda, in qua Sanchez eam quaeſtionem
„ pertractat. Jam vero ex qua propoſitio-
„ ne Patris Sanchez, ex qua periodo, ex
„ quo verbo exculpere poteſt P. Concina,
„ ipſum loqui de conductore divite, qui
„ pro ſe, qui nomine ſuo Eleemoſynam
„ petat, populumque veteratorie decipiat,
„ qui pauperi, non diviti ſe ſtipem praebere
„ putat. Indicet, ſi poteſt, ubi Pater San-
„ chez nominet divitem. Indicet, quod
„ magis neceſsarium eſt, ubi conjunctim
„ no-

„ nominet divitem, qui nomine ſuo, qui
„ pro ſe petat, atque ideo populo fraudem
„ faciat. Quod ſi indicare non poteſt, fa-
„ teatur, ſe impoſuiſse Sancheſio opinio-
„ nem fraudis plenam, divinae providentiae
„ ordinem pervertentem, non refellendam
„ ſed contemnendam.

CLCVIII. Quod paſſim monui, te ſaepe id agere, ut per quandam non intelligendi diſſimulationem, quod ſcriptum ſit ab Caſuiſtis, id ſcriptum eſse neges, eorumque ſententiam contra quam ipſa verba, & latina poſtulat oratio, interpretrari coneris, id quidem hoc loco luculenter confirmatur. Nam Sancheſium loqui de divite, hoc eſt, de eo, qui non ſic eget, ut mendicare cogatur, hic enim divitem appellamus eum, cui, ut vivat, opus non eſt mendicitatem perpeti: de hoc, inquam, loqui Sancheſium tam perſpicuum eſt, quam quod maxime, cum qui habet, unde pauperi ſolvat pretium locationis, is pauper dici non poſſit, neque eo mendicet, ut vivat; ſed ut aliquid lucretur. Quod ipſum demonſtrant extrema Sancheſii verba: *eſtque contractus fortunae, quo uterque lucri, & jacturae periculo exponitur*: quae quidem ſignificant, eum, cui pauper locat jus mendicandi, ſibi retinere quidquid praeter

ter pretium locationis acquirit, atque adeo fraudem facere populo, a quo eleemoſinam rogat, qua certe non eget. Sed ne tempus conſumam in iis demonſtrandis, quae perſpicua ſunt, animadverte, quemadmodum Sancheſii ſententiam exponant duo Caſuiſtae, quibus tuquidem neque potes, neque vero voles negare auctoritatem. Primum de Lugo Tom. 2. de Juſt. diſp. xxix. ſect. 1. num. 3. Sancheſii ſententiam refert his verbis: „ Dubitari poteſt, an ſi quis habeat licentiam Papae, vel Epiſcopi ad petendam eleemoſynam per ſe, vel per alios, ut ſuae neceſſitati conſulat, poſſit hoc jus aliis pretio locare. P. Thomas Sanchez lib. 1. Conſil. cap. 7. dub. 2. num 2. affirmat „. Poſtquam autem eandem ſententiam quatuor argumentis oppugnavit, concludit num. 8. „ Ultimo denique, & a priori, poſita tali locatione, non videtur adeſse conſenſus ſufficiens ex parte eorum, qui contribuerent, & darent eleemoſynas .... quare ſi ſcirent non perventuras eſse eleemoſynas ad dominium pauperis, ſed ad alterum *divitem*, qui eas lucratur, nullo modo darent „.

Alter eſt Patritius Sporer, qui cum ſe Sancheſii, & Tamburini diſcipulum jactet lon-

longiſſime abeſt ab omni malitiae ſuſpicione cum tract. 6. in Decalog. cap. 7. ſect.2. num. 23. deſcripta Sancheſii ſententia ſcribit hoc modo: „ Negat vero Lugo diſp. 29. „ ſect. 1. num. 3. ea potiſſimum ratione: „ quia eſto contractus iſte juſtus ſit inter locatorem, & conductorem; eſt tamen injuſtus contra fideles eleemoſynam dantes, „ qui pauperi tantum volunt dare, & non „ huic conductori, qui pauper non eſt, ut „ ſupponitur.

Doce me nunc, ex qua propoſitione Sancheſii, ex qua periodo, ex quibus verbis didicerint Sporer, & de Lugo, locutum eſſe Sancheſium de conductore divite, de eo, qui nomine ſuo eleemoſynam petat, atque adeo per fraudem a populo pecunias avertat? Quod ſi nihil aliud demonſtrare potes, niſi ſupra deſcriptum Sancheſii teſtimonium, quid eſt, quod cum Concina idem in eo acceperit, quod jam dudum hi duo Caſuiſtae acceperunt, hos quidem probes, Concinam non probes? Huic dicam impingas, & impoſturae crimen objicias, illos ne nomines quidem? Sed ego ineptus ſim, ſi verbis demonſtrare coner, quod jam omnes intelligunt, nihil eſſe tam certum, tam clarum, tamque exploratum, quod Concinae accu-

ſandi cauſsa in dubium a vobis non revocetur, aut etiam aperte non negetur.

De Sancheſio octavo.

CXCIX. Sed jam caput libelli tui CI. expendamus. In hoc capite ſcribis hoc modo
„ P.Concina Tom.10.pag.248.& 239.agens
„ de cauſſis allegatis a P. Sanchez pro juſta
„ diſpenſatione Pontificis in matrimonio
„ rato, ita refert quartam, & ſextam cauſ-
„ ſam: *Quarta cauſſa eſt, pergit Sanchez*
„ *num. 7. quando alter Conjugatorum aſſerit*
„ *ſe non habuiſſe animum contrahendi. Sic*
„ *Socinus ſenior... Felinus... Meno-*
„ *chius.*

„ *Ultima Cauſsa eſt, concludit P. San-*
„ *chez num.9. mutuus Conjugum conſenſus.*
„ *Sic Gregorius Lopez... Medina... Sed*
„ *hanc cauſsam non eſse ſufficientem teſtan-*
„ *tur multi doctores, quos retuli diſp. prae-*
„ *cedenti num. 2. aſserentes non poſse Pon-*
„ *tificem ex poteſtate ordinaria ob mutuum*
„ *contrahentium conſenſum diſpenſare, ſi*
„ *alia cauſsa non ſubſit, & quamvis fatean-*
„ *tur poſse ex poteſtate abſoluta, id evenit,*
„ *quia credunt, nullam requiri cauſsam, ut*
„ *valide diſpenſet, ut ibi explicui* „.

Has autem cauſſas, quas proponit Sancheſius, cur putet, fas eſſe Pontifici ratum ſolvere matrimonium, ita ab Concina expoſitas

ſitas fuiſſe dicis, ut pleraque praetermiſſa ſint, ex quibus non ineptas, ut Concina ſuadere nititur, ſed juſtas, & idoneas eſſe intelligitur. Nam quod attinet ad quartam, tum ab Sanchesio legitimam exiſtimari dicis, cum alter conjux *nullo modo induci poſſet, ut praeſtaret verum conſenſum, & ita ex matrimonio tam coacto graves inimicitiae orirentur*; cauſſam autem juſtiorem apparere, ſi cum hac exceptione proponatur, quam ſi exceptio illa omnino omittatur.

Nego. Nam Concina cauſſam iſtam ita rejecit, ut perſpicue oſtenderit, exceptionem illam prorſus inutilem eſſe, ſeque inepte facturum, ſi eam ſeorſum refellendam ſuſcepiſſet; ait enim: „ Si conſenſus defuit, „ irritum eſt matrimonium nulla egens diſ„ penſatione. Probandum eſt defuiſſe con„ ſenſum, & irritum tunc natura ſua ma„ trimonium eſt. Si vero conſenſum de„ fuiſſe non probetur, aſſerenti fides ha„ benda non eſt; alioquin incerta ad arbi„ trium conjugatorum matrimonia rata „ evaderent „. Intelligis, opinor, ſi probetur, defuisse conſenſum, ſupervacaneum eſſe causſam quaerere ſolvendi matrimonii, quod natura ſua irritum eſt; ſin autem non probetur, ne cum illa quidem exceptione

cauſſam juſtam eſſe, cum periculum ne graves oriantur inimicitiae, non cogat, ut conjugi aſserenti, minimeque probanti, conſenſum defuiſse, fides habeatur, alioquin difficilius non eſset ratum matrimonium, quam de cinaris emendis, aut alium ejuſmodi ſolvere contractum.

Nonnihil etiam in extrema cauſsa referenda omiſsum ab Concina fuiſse dicis, ex quo intelligi poſset, utrum Sancheſius *laxiorem* probet Lopeſii, & Medinae ſententiam, qui volunt utriuſque conjugis conſenſum ſatis eſse, ut ratum ſolvatur matrimonium; an huic contrariam amplectatur: hoc autem negari non poſse, cum Sancheſium hanc poſteriorem probare perſpicuum ex eo fiat, quod ſtatim addit, & Concina omittit: „ Barboſa .... dicit non eſse „ ſufficientem mutuum conſenſum. Et ita „ credo, niſi quando inter ſe ita eſsent diſ- „ cordes conjuges, ut infelices exitus abſ- „ que remedii ſpe timerentur „.

At ne hic quidem quidquam proficis: nam Concina quoque extremis Sancheſii verbis ſupra deſcriptis, *ut ibi explicui*; ſtatim adſcripſit:„explicuit ſane probabile eſſe „ Papam poſse *nulla occurrente cauſsa diſ-* „ *penſare a matrimonii rati vinculo*,„ attu-

lerat-

leratque n. 2. Sancheſii verba, quibus hanc opinionem expreſſit lib. 2. diſp. xv. num 5. Prima Conclnſio. *Probabile eſt, valere diſpenſationem Pontificis in matrimonio rato abſque cauſsa juſta conceſsa*. Ex his autem plane intelligitur, ab ſentetia illa Lopeſii, & Medinae non abhorrere Sancheſium, qui licet Barboſae aſsentiatur, non tamen id, quod Lopeſius, Medinaque docent, omnino repudiat. Quid enim prodeſt, mutuum conſenſum ſatis non eſse, opinione Barboſae, ad matrimonium ratum diſsolvendum, ſi probabile eſt, idem ſine juſta cauſsa ab Romano Pontifice poſse diſsolvi?

CC. Secundum haec ſcribere pergis: „ Et haec quidem quantum attinet „ ad defectum bonae fidei in referenda „ integre, & ſincere doctrina Patris San- „ chez. Tria nunc adjicere placet „. Ego vero, qui de bona fide, diligentiaque Concinae in referendis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis tantum diſputo, quae non ſunt hujus generis, ea libenter praetermitto, praeſertim, quod nihil objicias, quod ſit ullius ponderis, & quivis, ſi tantum ea legat, quae Sancheſius de hac controverſia, contraque Sancheſium Concina ſcribit, facile intelligere poſſit, non tibi, ſed Concinae

 eſſe

eſse aſsentiendum. Hoc tantum dico, ex quo cetera pendent, ſine ulla ratione ſuccenſere te Concinae, quod Sancheſium in hac controverſia nominatim oppugnarit; & quamquam eſsent alii ejuſdem ſententiae ſautores, adverſus eum tamen quaeſtionem inſtituerit his verbis: *Quaenam cauſsae aſſignentur a Patre Sanchez, pro juſta diſpenſatione matrimonii rati?* Sine ratione inquam hoc Concinae ſuccenſes: quam enim affers, potuiſse Concinam alios Sancheſio vetuſtiores nominare, a quibus eaedem afferuntur cauſsae, ea ratio non eſt, ſed rerum, quae ab Sancheſio, & Concina ſcribuntur diſſimulatio. Scribit enim Concina, eo progreſsum eſse in hac couttoverſia Sancheſium, ut probabile putarit, jus eſſe Romano Pontifici etiam ſine juſta cauſsa ratum diſſolvere matrimonium; ingreſsum autem diſputare de cauſſis, cur diſsolvi poſſit, improbata eorum ſententia, qui aliquam ſimilem ejus, quae in jure Canonico *cap.* 11. *de Converſ. Conjug.* continetur, alias multo leviores ab Canoniſtis acceptas approbaſse. Quae cum vera ſint, & ab Sancheſio diſputata eſse negare non poſſis, ſine ulla ratione, ut dixi, Concinae ſuccenſses, quod eum potiſſimum refellendum putarit. Fas eſt enim,

eos

eos ſcriptores nominatim refellere, qui tametſi ſententiam quampiam primi non invenerint, tam acriter tamen, tamque operoſe eam propugnarunt, ut principes ejuſdem fautores habeantur. Ne illud quidem verum eſt, laudare Sancheſium in his cauſſis explicandis Theologos, ne Dominicanis quidem exceptis, quorum identidem tolerabiliores reddat opiniones; praeter unum enim Cajetanum, quem ſemel laudat, cum de periculo *ſcandali* agit, nullum memorat hujus generis ſcriptorem, ſed tantum Canoniſtas accumulat, quorum potiſſimum ſequitur auctoritatem. Ex quo perſpicuum fieri poteſt, quam ſaepe fallaris cum de partium ſtudio, deque praeteritis ab Concina Dominicanis expoſtulas, cum hoc ipſo in loco Cajetanum Soti oratione acriter perſtringat.

CCI. Jam vero caput libelli tui CIII. ita inſcribis: *Vindicatur a falſa criminatione P. Sanchez*, deſcriptiſque Concinae verbis Tom. 10. pag. 333. *Pater Thomas Sanchez in ſuis tribus voluminibus de re uxoria tam fuſo calamo hanc coeundi impotentiam verſat, ut non minus, quam* XXVIII. *diſputationibus illam explanare operae pretium judicaverit*; ita Concinam redarguis:,, Non mi- ,, nus quam XXVIII. diſputationibus? Mi- *De Sancheſio novo.*

 ,, nus

„ nus, minus. Diſputationes de impedimen-
„ to impotentiae lib. 7. incipiunt a 92. in-
„ cluſive, & deſinunt incluſive in 114. ac
„ proinde ſunt tantum 23. non 28. At forte
„ fuit error Typographi. Credamus. Sed
„ de Patre Concina in omnem occaſionem
„ dehoneſtandi auctores ſocietatis, & prae-
„ cipue Sancheſium, imminente, nulla ſuſ-
„ picio temeraria eſt „.

Nae tu es homo lepidus, Noceti, qui quibus modis conflare te putas Concinae invidiam, iiſdem te ipſum conficias, & Concinae cauſſam facias illuſtriorem. Dixi quidem ſaepe, & multum de iſta tua accuſandi, ſcribendique ratione in ſuperioribus epiſtolis: Quare nunc tantum quaero unde habeas, aut quemadmodum probes, in id maxime incubuiſse Concinam, ut Sancheſium dehoneſtaret, quo probato, liceret tibi in eandem partem accipere, etiam ſi quid de eo ſcriptum reperires, quod etſi erratum contineret, aliquam tamen reciperet excuſationem; neque enim vacat temeritate ſuſpicio, niſi prius animum ejus, quem inſimulas, affinem vitio fuiſse demonſtres. Dices, opinor, conſilium Concinae perſpicuum ex eo fieri, quod magnum numerum Sancheſianarum opinionum in ſingulis prope Chri-
ſtianae

ſtianae Theologiae voluminibus ſtudioſe refellat. At ego rurſus quaero, eccur ex tanto numero nonniſi petpaucas, eaſdemque de rebus leviſſimis attuleris, quas aut vere Sancheſio tributas, aut recte ab Concina oppugnatas eſse negares? Nonne hinc manifeſte ſequitur, te ipſum non negare reliquas bene multas eſse Sancheſiii; cumque in his ipſis, de quibus litem inſtituis, vehementer fallaris, Concinam non ullo Sancheſii dehoneſtandi ſtudio, ſed earum opinionum falſitate permotum majus in eo refellendo ſtudium poſuiſſe? Vide, Noceti, ne cum ſcribis, ſcribis autem ſaepiſſime, eo ſpectaſſe Concinam, ut auctores Societatis dehoneſtaret, hoc tantum dicere velle videaris, erraſſe quidem ſaepe & multum tuos Caſuiſtas; non eſſe tamen eorum errata publice refellenda, ne quid de eorum exiſtimatione direptum videatur.

Quod hoc in capite praeterea opponis, uſum eſſe Concinam, ad invidiam Sancheſio creandam, vocabulo *rei uxoriae*, imitatumque eſſe Luthardum, Rivetum, Sanciranum qui primi ſtudium Sancheſii de *impotentia* &c. copioſe ſcribendi, vituperarunt, id quidem leve, atque inane eſſe initio hujus epiſtolae demonſtravi. Ea ſi tibi ſatis non faciunt; utere judicio ſuo, laudeſque licet,

 quan-

quantum tibi libet, opus Sancheſii de matrimonio, modo ſinas nos uti noſtro, neque nobis ſuccenſeas, ſi rectius idem opus a Petro Aurelio oppugnatum, quam ab Ludovico Bayl laudatum, defenſumque fuiſſe putamus. Neque enim melius hic Concinae objicis Sanciranum, quam hunc eundem objiceres ei, qui ejus de veſtris oratoribus, poetis, ceteriſque hujus generis ſcriptoribus, judicium ſibi probari affirmaret.

De Sancheſio decimo.

CCII. Pergamus igitur ad caput libelli tui CIV., & ad id quod ſcribit Sancheſius lib. 9. diſp. 46. num. 48. „ Oſcula, & amplexus, „ aliique tactus non impudici excuſantur a „ culpa mortali inter ſponſos de futuro, ra„ tione contractus ſponſalium inter ipſos „ initi. Ratio eſt, quoniam ſicut matri„ monium ipſum cohoneſtat copulam, ita „ ſponſalia, quae quoddam matrimonii ini„ tium ſunt, cohoneſtare debent hujuſmodi „ tactus, qui inchoatio quaedam ſunt copu„ lae; praeſertim, quia ſic magis fovetur „ amor in ordine ad matrimonium...

Refellit hanc doctrinam Auctor. Theolog. *Chriſtian.* Tom. 10. pag. 361. neque vero negas, traditam ab Sancheſio fuiſſe; ſed unum eſſe Sancheſium, qui eam tradat, cum ſtatim memoret Cajetanum, Medinam, Lopeſium,

ſium, Petrum Ledeſma, Bartholomeum Ledeſma, Fumum, Joannem Tabienſem: quos Concina tacitus praetermittit, & quorum deſcriptis teſtimoniis: „ En magiſtros, „ inquis, a quibus Sancheſius didicit *pa-* „ *radoxa laxitatis, quae caſtis auribus ſcan-* „ *dalum ingerunt*. En a quibus exſcripſit „ *opinionem non refellendam, ſed deteſtan-* „ *dam*. Atque haec eſt veriſſima Jeſuita- „ rum excuſatio, ut alias monui; ſi quan- „ do in minus rectas opiniones prolapſi „ ſunt: nimirum; non eos eſſe earum fun- „ datores, vel anteſignanos, ſed eas ab an- „ tiquioribus, doctiſſimiſque magiſtris didi- „ ciſſe „. Quum de hoc genere excuſationis multa dixerim in ſuperioribus epiſtolis, pluribuſque exemplis oſtenderim, plerumque falli, aut fallere novos Caſuiſtas, cum veteres laudant in ſubſidium ſuarum opinionum; neque dignos eſſe venia, etiamſi aliquando veteris ſcriptoris auctoritate nitantur, cum hic interdum, & in aliquo controverſiae genere; illi ſaepe, & multum, & prope in omnibus morum quaeſtionibus errarint, nemini deinceps te probaturum confido iſtam excuſationem, qua cum veteribus Scholaſticis communicare laboras eam opinionum perverſitatem, quam in novis caſuiſtis diligenter averſamur. Ita-

Itaque non nego, eandem opinionem traditam eſſe ab Cajetano cum in ſum. V. *Sponſalitia*, tum 2. 2. quaeſt. 154. art. 4. ubi ait: „ Videtur autem, quod ſicut ſponſalium inchoatio quaedam eſt Conjugii, ita hujuſmodi actus inchoatio quaedam eſt carnalis copulae, & quemadmodum conceſſum eſt, ut inter ſponſalia ſuſpirent ſe invicem, juxta illud Auguſtini: *Ne vilem habeat maritus oblatam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam*, ita conceſſa videntur hujuſmodi oſcula inter eoſdem, ſecundum indulgentiam tamen, qua venialia conceduntur; & niſi, ut hujuſmodi inchoationes conceſſae venialiter in ordine ad promiſſas nuptias, excuſentur, neſcio excuſare ſponſorum de futuro propter delectationem oſcula, amplexus &c. De oſculis autem, & amplexibus inter eos ad benevolentiae, & familiaritatis ſigna non loquor: quia licita procul dubio ſunt „.

Quibus verbis excuſat quidem Cajetanus ſponſum, qui captandae voluptatis cauſſa ſponſam oſculetur, vel amplectatur, ſed una ſignificat, non eſſe ſibi ſatis exploratam hujus ſententiae veritatem, cum vereatur, ne non ſatis firma ſit ratio, qua utitur ad eam confirmandam. Ut-

Utcumque tamen ſe res habeat, non nego, ut dixi, Cajetanum ejuſmodi oſcula, & amplexus voluptatis captandae cauſsa gravi culpa carere docuiſſe, in eandemque ſententiam locutos eſſe Lopeſium, Petrumque Ledeſmam; at idem ſenſiſſe Medinam, Fumum, Johannem Tabienſem, Dominicumque Sotum, (mitto Bartholomeum Ledeſmam, quem videre non potui) ut Sancheſius dicit, & tu ipſe confirmas, concedere non poſſum.

Et de Fumo quidem, & Johanne Tabienſi tu ipſe ſcribis pag. 311. „ Eidem ſen-„ tentiae favent alii duo Dominicani, qua-„ tenus generatim, atque indefinite do-„ cent, oſcula poſſe permitti ſponſis de fu-„ turo ſaltem propter conſuetudinem „: Ridiculum. Nam ſi putant, ejuſmodi oſcula, & amplexus licere ſponſis *de futuro* propter conſuetudinem, quo tandem modo favent Sancheſio, qui ad praeripiendam voluptatem licere arbitratur? Niſi forte putas perinde eſse, utrum propter conſuetudinem, an captandae voluptatis cauſsa licere dicantur. Eadem eſt Sententia Madinae, qui de his oſculis, & amplexibus hoc tantum ſcribit, ut tu ipſe refers pag. 310. *Tampoco entre los deſpoſados ſeran peccado*, quæ verba ad ſponſos

ſos *de futuro* contorquere velle nihil aliud eſt, quam errorem ſcriptori ſine ratione tribuere.

CCIII. Sotum quoque loc.cit. laudat Sancheſius hoc modo: *idem aperte ſentiunt Sotus in 4. diſt. 29. 2 quaeſt. 2. art. 1. ad finem V. Hoc tamen addiderim* ... quem miror abs te fuiſſe praeteritum; ſed fortaſſe vidiſti, falſum eſse Sancheſium, neque recte Soti explicaſse ſententiam. Hic enim diſputans loc. cit. *utrum ejuſmodi contractus inter cognatos ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, vim habeat ſponſaliorum, ita ut ſuperveniente diſpenſatione, teneantur contrahere*; ſcribit hoc modo: „ Hoc tamen addiderim temperamentum, quod licet ejuſmodi contractus vim non obtineat ſponſaliorum, quandoque tamen ex quadam honeſtate oritur inde obligatio: nempe dum matrimonium illud inter cognatos ob aliquem bonum finem expediens eſt; & dum expenſae in expeditione diſpenſationis amplae factae ſunt: praeſertim ſi ſponſa ſeſe permiſerit ſpe illa deflorari. Tametſi non ſolum talis concubitus peccatum ſit grave, verum & oſcula, & tactus, qui alias inter ſponſos de preſenti licent, quia omnia feruntur ſuper indebitam materiam „.

Hanc

Hanc Soti orationem ita interpretratur Sancheſius : „ Per ſponſos de praeſenti „ minime intelligunt eos, qui matrimonium contraxerunt; rem enim vanam „ dixiſſent : ſed intelligunt eos, qui contraxerunt vera, & abſoluta ſponſalia; „ amplexus enim, & oſcula eis licita „ non permittuntur eis, qui de praeſenti „ non ſunt adſtricti veris ſponſalibus; ſed „ ſub conditione pendenti ex futuro eventu, quae revera in praeſenti ſponſalia „ non ſunt, ſed talia erunt impleta conditione „.

Ego vero non video, cur Sotus intelligi non poſſit de oſculis, & amplexibus, quae licet permittantur ſponſis *de futuro* non ullius voluptatis captandae cauſsa, ſed adſignificandam benevolentiam, vel ex quadam conſuetudine, non tamen permittuntur iis, qui ſponſi non ſunt, ſed tunc erunt, cum erit expleta aliqua conditio : aut, ſi de oſculis, & amplexibus turpibus locutus eſt, *rem vanam* dixiſſet, ſi ſponſorum nomine eos intellexiſſet, qui jam nuptias celebrarunt. Aut hos ego Sotum intellexiſse puto, cum his tantum liceant ejuſmodi oſcula, & amplexus, quae Sancheſius ſponſis *de futuro* ſine ratione licere arbitratur; aut de his oſculis,

culis, & amplexibus locutum eſſe exiſtimo, quae ſponſis *de futuro* permittuntur non ad praeripiendam voluptatem, explendamque libidinem, ſed propter conſuetudinem, vel ad ſignificandam benevolentiam, ut ait Cajetanus in extremo teſtimonio: *de oſculis autem, & amplexibus inter eos ad benevolentiæ, & familiaritatis ſigna non loquor, quia licita procul dubio ſunt*: ita, inquam, Sotum intelligi poſse exiſtimo, cum nihil afferri poſſit, quod cum alterutra interpretatione magnopere repugnet. Accedit huc, quod cum opinio Sancheſii, Cajetani, & aliorum falſa ſit, eoque, ut mihi videtur, periculoſa, quod difficile eſt concitatae libidini modum imponere, quae, ſi oſculis & amplexibus expleatur, vix ſitum in nobis eſt quouſque progrediatur, idcirco nullius auctoritate confirmari debet, a quo non plane conſtet eſſe defenſam.

CCIV. Hic vides, opinor, quam multa Concina neceſſario praeterire debuit. Ut enim haec omnia, quae a me diligenter expenduntur, qui tibi reſpondere cogor, pari diligentia expenderetur ab eo, qui ſcriberet de univerſa morum Theologia, neque fieri poterat, neque poſtulandum erat: prius enim vivendi, quam de una, & altera contro-

verſia

verſia ſcribendi finem feciſſet, ſi in ſingulis quaeſtionibus definiendis, vel opinionum portentis refellendis, nihil eorum praeterire voluiſſet, quae ad ſententias ſingulorum auctorum, quos quiſque magno numero laudaret, agnoſcendas, vel explicandas pertinerent. Praeterea exiguum ſane fructum ex tanto labore retuliſſet, cum non magni interſit ad utilitatem ſtudioſorum ſcire, quid quiſque ſenſerit Caſuiſta; nec ullius Theologi ignorare opinionem. Ex quo ſequitur, ut, ſi quid in Chriſtiana Theologia de Auctorum ſententiis (de iis loquor, qui magno numero laudari ſolent ab unoquoque Caſuiſta, ut quod propugnat, auctoritate confirmet) minus accurate ſcriptum, aut omiſſum reperiatur, id quidem non ulli partium ſtudio, aut negligentiae, ſed ſummo judicio ſcriptoris, qui tempus in rebus utilioribus conſumere vellet, aſſignari conveniat. Nunc utile eſt, ut hae auctorum ſententiae ſubtilius expendantur, primum, ut tibi ſatisfiat; imo ut quae Concinae objicis, ea te ipſum peccare oſtendatur; deinde, ut palam fiat, multum minui oportere cathalogos illos Gravinianos, (hos nomino, quia prolixiores, mendacioreſque eſſe reperio) in quibus noſtrorum errata numerantur: de-

denique ut conſtet, quam deſperata ſit cauſſa Probabiliſtarum, qui cum initio jactarent, habere ſe magna volumina, quibus, cum primum data eſſet ea vulgandi facultas, adverſariis ſilentium imponerent, nihil tandem aliud ediderunt, niſi de *indicibus*, de falſis *citationibus*, de praeteritis Dominicanis, deque aliis leviſſimis rebus inſulſas conquaeſtiones.

Hactenus de Sancheſio, quem ſi memineris, ut ſupra dixi, fere in omnibus Chriſtianae Theologiae paginis oppugnari; te autem nonniſi paucas, ſi cum reliquis conferantur, protuliſſe ſententias, quas ei ab Concina falſo tributas eſſe doleres; ſed de his ipſis injuria, ut oſtendi, queſtum eſſe, nihilque Concinam egiſſe mala fide, non amplius eum accuſandum putabis, qui Sancheſium parvi faciat, & in magnis erratis verſatum eſse contendat. Vale.

MAG 2001303